

Aug

Ms. No. 345.


Meylius, Gp.


in 4 andere Schriften



K. IV. 36.







DE RESACRAMEN-
TARIA,
LIBRI QUATVOR
MARTINI LV-
THERI.

1. Secundus, qui ἀντιπροφητικὸς inscribitur.
2. Cui titulus est, οὐκ ἔστιν ἰνὺν in verbis Cœnæ.
3. Maior { Homologeticus.
4. Minor

PER ANALYSIN PROPOSITI A
GEORGIO MYLIO DOCTORE
ET PROFESSORE THEOLOGO.



IENÆ Typis Tobiaë Steinmanni 1592.

DEUTSCHER
KUNST-
MUSEUM
MARTINI
GEORG MEYER DOCTOR
1844



AB 44 $\frac{15}{6,4}$



GENEROSO ATQVE
INCLYTO DOMINO, AN-
DRÆAE IOACHIMO, COMITI SCHLICCEN-
SI, Domino in Bassaun & VVeissenkirch &c.
Academiæ Ienensis Reçtori magnifico,
Domino suo omnibus obseruan-
tiæ studijs colendo.

S. P.



*E*T MULTAE CAUSAE
sunt, & illa grauiſſimæ, qua docentes, dis-
centesq; omnes in Ecclesia excitare debent,
ad conferendas sapè, accurateq; ponderan-
das de certamine Sacramentario sententias.

Primum Ecclesia Dei viui, columna est
& firmamentum veritatis, teste Apostolo. 1. Tim. 3. v. 15.
Non potest ergo curam veritatis caelestis, (cuius ratio vniuersa
in solo verbo Dei consistit. Ioan. 17. v. 17.) vel alienam à
se putare, vel leuiculam, nisi aut esse, quod est, illico desinat:
aut suæ ipsius dignitatis immemor fiat, quorum hoc cum peri-
culo: illud cum interitu presentissimo coniunctum foret.

Iam in certamine Sacramentario de eo κερηλίω agitur,
quod est omnibus mundi thesauris pretiosius, nimirum de
corpore & sanguine Dominico, publico tabularum testamen-
tariarum Christi instrumento, Ecclesia à capite & saluatore
suo legati bonis. Cuius legati precium parui facere, sine ex-
trema ingratitude atq; impietatis atrocissimo crimine non
possumus.

Accedit temporum istorum misera facies, & plus quàm
existis conditio. Afferunt namq; ista, quippe mundi postrema
tempora,

tempora, grauem veritatis ac religionis salutaris inclinatio-
nem. Et quemadmodum Sole ad occasum vergente, umbra
crescunt, qua tenebras proximè antecedunt: ita sine mundi
appetente, humanarum opinionum commenta inualescunt,
qua errorum atq; haresium teterrimarum Cimmerias tene-
bras indiuiduo nexu inuehunt.

Ad quam perniciem cumulandam accelerandamq; stu-
dia sua certatim atq; enixè Sacramentarij conferunt. Hic vi-
gilia & cura sollicita opus est, ne diluuij instar, portenta er-
rorum nos adobruant, & ne in errorem inducantur saltem
electi, summo studio prouidendum.

Sunt non parum multi, etiam nostri ordinis homines,
qui manum de tabula Sacramentaria prorsus subducunt:
Qui ne parum sibi saure videantur, cessationi sua (ut mitissi-
mè dicam) prudente velum, & pacis studium pratexunt.
His equidem non est animus hoc loco litem mouere, aut di-
cam scribere. At duo interim illis in memoriam reuoco. Prius
illud est, quod extat Zach. 8. 20. Veritatem tantum, & pas-
cem diligite. Si enim pariter utramq; ita diligi vult Dominus,
ut primas tamen veritati tribuat, & sic consequenter, si al-
terutrius facienda sit iactura, veritatem paci anteponendam
esse innuat: viderint isti, quomodo causam suam Deo ali-
quando probaturi sint, dum potio rem pacis, quam veritatis
rationem esse habendam, hoc est, secundam decalogi tabu-
lam prima preferendam esse censuerunt. Tum illud maiorem
in modum pensi habendum statuo, quod est grauius per-
quam edictum in Propheta, Maledictus, qui facit opus Do-
mini fraudulentè. Ieremia 48. 10.

Ceterum in hac causa versaturis, non incommodum
fore arbitror, si ad ipsa prima certaminis huius initia recur-
rant. Sic enim ea comparata sunt, ut cui ea perspecta sunt, is
non lucem tantum habeat, qua in totius causa cognitione,
praluceat: sed id etiam consequatur, quod in versu dicitur:

Dimidium

Dimidium facti, qui bene cepit, habet.

Hereses enim ad suam originem reuocasse, refutasse est, quemadmodum scitè ac grauitè à D. Hieronymo alicubi proditum est. Maxime id de Sacramentarismo bonis omnibus persuasum esse debet. Qui enim qua improbitate, qua cacitate, qua perfidia à primis Sacramentarismi autoribus fundamenta iacta sint, perspectum habet: quid sibi de isto Spiritu in progressu polliceatur, abundè prouidet.

Alterum illud est compendium, quod in hac palestra versaturis, utraq; manu amplexandum puto, ut scripta beati Lutheri, magni illius Papocinglianica, ea dico, quae sunt Sacramentarijs ex professo opposita, manibus suis excuti nulla arte, nulla fraude patiantur. Genius horum scriptorum omnino immortalitati consecratus est, & haec sola fuerunt, quorum vim maximam haëtenus Sacramentarij senserunt. Proinde cum sexcenta alia neotericorum scripta facile ferant: Lutheri Antisacramentaria, cane peius atq; angue exosa, è medio unice sublata cupiunt. In quo studio cum ita infelicitè à se haëtenus laboratum esse videant, ut deploratam causam habeant: yvnois discipulos suos, Pseudolutheranos, & Cryptocaluinistas succenturiatos iam emittunt, qui in id enixè incumbant, ut horum scriptorum exautorata estimatione, plenis velis inuehere Sacramentarismum in reformatas Ecclesias queant. Hinc odiosa illa scriptorum istorum denominationes, quibus honoris causa, quo Lutherum prosequuntur (si credere fas est) scripta ista insigniunt, non modo tantum: sed ègisiuà etiam eadem appellantes, ut quorum autoritatem, Scripturarum S. & argumentorum robore non possunt: conuitijs saltem & dictarijs eleuent.

Hinc insimulationes illa à methodo descriptionis, in qua vera ac methodica artis nihil quicquam appareat, quamq; facultate quadam sua dicendi natua sic confusam reliquerit, ut scoparum dissolutarum more omnia cohaereant, iudicet verò non

orbis tantum Christianus : sed uniuersus etiam œcumenicus ;
qua fide spargant, qua veritate crimentur, quo pudore di-
ctitent, qui ista in publicum edere de scriptis Lutheri conui-
tia non erubescunt. Et tu pia posteritas iudica, si que tan-
dem futura es, iudica quæso, quam fidem, quem candorem,
quam conscientiam istorum hominum interpretari nos potue-
rimus, imò debuerimus etiam. Testor Deum id, quod medio-
cri saltem studio adhibito, ἀποπερία me in hoc exiguo labore
edocuit, scripture Lutheri ut tersius ac limatius : ita μεθοδι-
κώτερον, aut τὸ τῆς παιδείας τέρω conuenientius reperiri
nihil posse. Solummodo id cum Apostolo Paulo Lutherus no-
ster præcipuè, parum abest, quin dicam etiam, unicè commu-
ne habet: ut quem. Imodum elaboratissimam Pauli scriptio-
nem, momenta rerum, & verborum ac sententiarum ponde-
ra obscurant quodammodo: nimirum ne præ humano lumi-
ne, diuinum minus fortè alicubi appareat: ita diuino munere
in scriptis Lutheri res omninò etiam comparata sit. Latet ar-
tificium humanum: quia sese virtus diuina pleno iubare in
oculos atq; animos legentium infundit, non quidem quorum-
uis (quod ne in Apostolicis quidem scriptis vsuuenit) sed eorum
demum, qui rerum ipsarum momenta, & vim scripture plas-
mè caelestem ac diuinam perspectam habent. Quod ipsum in
scripturis quoq; sacrosanctis vsuuenire, optimus quisq; inter-
pres scripturarum, testis esse fide dignus potest.

Hæc scripta Lutheri cum à me hætenus ἀναλύσει qua-
dam resoluta, in lucem iterum proditura essent, non singula
seorsim, sed uniuersa eodem libello comprehensa: vehementer
gaussum, generose atq; inclyte D. Comes, hoc potissimum
id tempore fieri, quo tu ad gubernacula Reipub. huius litera-
ria confides. Quia enim ab eo statim tempore, quo tu clauum
Academicum tenere cepisti, in eas cogitationes descendi, quid
ex me vel ad ornandum, vel ad commendandum saltem ma-
gistratum tuum proficisci queat: commodissimè factum puto,
ut

ut hac oblata sit materia quam illustri nomini tuo dedica-
rem, quem ea eruditione instructum esse voluit Deus, ut vel
maximè in tuo ordine possis: dignitate ac splendore, ut des
beas potissimum verò pietate ac religione, ut velis libenter
causa istius uniuersa, ac scriptorum istorum Lutheri patroci-
nium suscipere, quo ipsis apud bonos & cordatos tandiu opus
erit, quamdiu Ecclesiam aliquam in his terris florere, inq; ea
caelestis sua veritatis lucem incorruptam fulgere, Deus pro sua
clementia ac paterna bonitate voluerit. Quod quia ut facias,
Inclyte ac generose D. Comes, rogare non possum, cum sponte
facias, quin deinceps etiam semper facturus sis, sperare nun-
quam desinam: enixè rogans, ut hanc ardentis erga te studij,
atq; obseruantia mea tesseram benignè accipere, & quod
ipsum quoq; facis clementer, deinceps etiam me, obseruan-
tem tui, amare, pro tua erga bonos omnes beneuolentia &
humanitate, haud grauatè velis. Per scriptum. 2. die Martij,
qua nobis annuam emortualis diei memoriam affert, qua
pijsimus Princeps Ioannes VVilhelmus, Dux Saxonia &c.
sanctissima memoria, rebus humanis ante annos 18. est ex-
emptus: Præcedit autem proximè eam diem, qua heroi in-
uictò, confessori constantissimo, Martyri sanctissimo, Ioanni
Friderico, Patri Ioannis Friderici & Ioannis VVilhelmi &c.
Duci & Electori Saxoni, beatissima itidem recordationis,
ante annos XXXVII. fatalis extitit. Anno supra sesquimille-
simo nonagesimo primo Iena.

Generosæ T. Dominationis
ac magnificentia
Studiosissimus

GEORGIVS MYLIUS D.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

Generale J. Denominationis

et magisterialis

et hinc inde

Georgius Wilhelmus D.



SYNOPSIS ANALITICA

LIBRI CONTRA COELE-
STES PROPHETAS, QVEM REVE-

RENDVS PATER D. M. LVTHERVS

in causa Sacramentaria scripsit: In forma
thesium proposita.



I.

Libri, qui à B. Luthero in causa Sacramen-
taria scriptus est, ἀντιφιλικῆ σὺνὸς ἐν προποσι-
turi, non abs re fecerimus, si πολεγόμενα pri-
mum præmittamus: tum partes libri breuiter
& perspicuè exponamus: tandem aphorismos
ex tota tractatione excerptos, in vsum verita-
tis cœlestis studiosorum fideliter annotemus.

II.

Argumentum libri, quemadmodum titulus ipse præ se
fert, ad genus causæ δικανικὸν pertinet. In eo enim totus est
Lutherus, vt non tantum veritatem sanæ doctrinæ, de vera &
substantiali præsentia, exhibitione & sumptione Corporis &
Sanguinis Dominici in Sacrosancta Synaxi tueatur: sed furo-
res etiam & strophas infelicis illius, Sacramentariorum omniũ
nostri seculi, Patriarchæ, Carolstadij nimirum, detegat & refu-
tet: & sub vnus ac primæ actionis Sacramentariæ specimine,
totius causæ Sacramentariæ ἐτεροδιδασκαλίαν, καὶ παρείσαντον μολαι-
ολογίαν repræsentet. Scriptum ergo totum est, vt Theologi appel-
lant, ἐλεγκτικὸν: vt Politici loquuntur, πολεμικὸν: vt Sacramenta-
rijs cauillari placet, ἐριστικὸν καὶ ἐπιλιττυτικὸν, & ipsorum iudicio,
tantum non in famosorum scriptorum censu computandum.

III.

Status libri δικαιολογικὸς est. Quæritur enim, Iurène factum
sit à Carolstadio, qui in ipso reformatæ Ecclesiæ gremio versa-

B

tus,

L I B E R

tus, deserta sanioris doctrinae, atq; nuper à fermento Missati-
co repurgatae veritate simplicitateq; , *ιδιογνωμείων καὶ παραπρω-
βόλων* cœperat, negataq; Corporis & sanguinis Domini in S.
Synaxi praesentia *επιπέσει*, schismatis telam orsus fuerat, quo
παραγινώσκοντες excitari à Satana vix vllum poterat.

III.

Zach. 8.

Scriptus est liber anno illo fatali planè ac funesto 1525.
quo & Luthero haud ita pridem ex pathmo Vitebergam re-
uerso, extremum ab Imperatore R. periculum imminebat; &
Papa celebrato Iubilæo in perniciem tenellæ Ecclesiæ totus in-
cumbebat: & fanaticus Anabaptistarum furor totis agminibus
erumpebat: deniq; turba rusticana œstro seditionum acta, in
fata sua ruere cœco impetu passim cernebatur. Quo tempo-
re quemadmodum, acis præco strenuus fuit Lutherus, qui ab
armis & seditione fides omnes acriter dehortabatur: ita ve-
ritatem etiam piè dilexit, hoc est, gnauiter aduigilauit, ne ve-
ritatis depositum, sibi à DEO peculiariter creditum, damni
quicquam ab autoribus schismatum acciperet: Vt est sanè fi-
delis doctoris cuiusq; , de patrocinio veritatis vel periculo-
rum quorumcunq; metu, vel publicarum calamitatum terro-
re, nihil quicquam remittere.

V.

Occasionem libro scribendo, hominis, quem dixi, fana-
tici intemperies, & fœdissima Mysterij Eucharistici deprava-
tio præbuit, quam ille edito in publicum libro, doctrinaq; Lu-
theri virulentissimè exagitata admisit. Qui tamen liber non
inuito, quin imò hoc ipsum maximè optante Luthero, in pu-
blicum prodijt: & adeò quidem optante, vt huius editionem
aurei nummi donatione à Carolstadio redemerit.

VI.

Ambros.

Volfius

P. I. con-

tra funda.

Luth. doct.

post præ-

sentationem,

Exagitant hoc factum odiosè Sacramentarij, & partim
φιλονεικίαν interpretantur in Luthero, qui litis materiam auro-
etiam emerit: partim hinc autorè schismatis Sacramentarij
eundem proclamandi, ansam sumunt. Verùm vtrumq; can-
dore suæ sectæ proprio, hoc est, planè nullo.

VII.

Enimuero cum Carolstadius & corâm, & per literas Lu-
thero

P R I M U S.

thero scriptiones aduersarias frequenter iam fuisset commi-
natus, nec raro conquestus itidem, per Lutherum stare, quo
minus Typographiæ beneficium obtingere suis scriptis posset,
sic haud obscure innuens, quasi à scriptis suis Lutherus sibi me-
tueret: simul autem expertus fuisset Lutherus hypocritæ illius
fanaticos errores, quos viua voce facile tegebat, & specie san-
ctimonix palliabat, in lucem proditos, nocere Ecclesiæ minus
posse, quàm clandestinè serpentes: neq; de sua innocentia, bo-
nitateq; causæ testari luculentius, neq; de Ecclesia mereri præ-
clarius potuit, quàm vt tradita hypocritæ mercede iniquitatis,
cum fructu publico eliceret, quod cum Ecclesiæ damno haud
exiguo diutius fortè latiturum fuerat.

VIII.

Iam cum Luthero in Pathmo agent, Carolstadius Eccle-
siam Vitebergensem tum temporis & pacatissimam & floren-
tissimam, puditissimis suis paradoxis foeditissimè turbavit: & ad
sedandas illas turbas Luthero Vitebergam ex Pathmo reuerso,
Carolstadius deserta statione Orlamundam se contulerit, &
per vim ibi sine vocatione raptato pastoratu, Turingiam vi-
cinam Sacramentariismo suo impleuerit, ad quem propulsan-
dum publica Electoris autoritate Lutherus tandem missus fuit:
an esse potest frons aliqua tam perfrecta, vt schismatis istius
autorem insimulare sanctissimum virum DE I ausit?

Vide Sleis-
danum
lib. 3.

IX.

Sed ad huius calumniæ refutationem vnus Philippi Me-
lanchthonis sufficit autoritas, cuius in præfatione libelli de Ve-
terum sententijs de Cœna Domini hæc verba leguntur: Carol-
stadius primùm excitauit hunc tumultum: Et mox: Contro-
uersiam de Cœna Domini, tantum odio Lutheri, non aliqua
pietatis opinione mouit. Etenim cum *εικονομαχία* ipsius à Lu-
thero improbata esset, cepit iste inflammatus immani cupidi-
tate vindictæ, quærere causam vendibilem, qua Lutheri existi-
mationem prorsus obrueret. Bona pars Germaniæ testari
possit, nihil me in hac re fingere. Quanquam si testibus opus
sit, libelli ipsius aduersus autorem dicent certissimum testimo-
nium. In his apparet, hominem ne ratione quidem aliqua in
speciem probabili motum esse ad scribendum.

B 2

Genere

L I B E R

X.

Genere scriptionis admodum acri Lutherus est usus. Quo
 nomine si qui Censoria virgula illum dignum iudicant, hi nã
 sapiendo faciunt, vt nihil sapiant. Nam vt exempla Sancto-
 rum, & Scripturæ autoritatem hîc non adducam: rationibus
 grauissimis factum hoc non caruit. Fuit Carolstadius, vt ha-
 bent Philippi verba, loco modò allegato, homo ferus, sine in-
 genio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum vn-
 quam humanitatis officium aut intelligere, aut facere animad-
 uertimus, tantùm abest, ut in eo significatio aliqua Spiritus
 sancti animaduersa sit. Imò extiterunt in eo manifesta signa
 impietatis. In tota enim doctrina solebat *ιουδαϊζειν καὶ σαταϊζειν.*
 An tali nodo alius quærendus erat cuneus? Taceo turbas ab
 ipso passim datas? taceo labem & maculam, quam ille Eccle-
 sia nuper reflorescenti asperserat: taceo periculû existimatio-
 nis, quod inde redundabat in Lutherum, qui nullis rationibus
 à se amoliri poterat suspicionem Pontificiorum, quin illum
 conspirationis illius socium esse subinde calumniarentur.

XI.

Scopus autem scripti hic est, Non tantùm asserta doctri-
 nã, quam hætenus de Cœna tradiderat, veritate, crassum &
 bardum illud delirium Carolstadij, qui verba institutionis, Hoc
 est corpus meum, sic interpretabatur, Hic sedet corpus meum,
 explodere: verùm etiam matricem ipsam totius sacramen-
 tarismi, figuratam scilicet & tropicam verborum Christi expo-
 sitionem, eiusdemq; corporis & sanguinis à Cœna Dominica
 absentiam, excindere, pro qua vtraq; tuenda in odium doctri-
 nã & dignitatis Lutheranæ, Carolstadius arma contra Luthe-
 rum sumpserat. Vt mirari satis nequeam eorum impuden-
 tiam, qui Lutherum ante motum hoc certamen à primo im-
 pugnati Papatus tempore, semper etiam in Sacramentaria
 sententia fuisse, comminisci non erubescunt.

XII.

Liber ipse contra cœlestes Prophetas inscribitur. Hoc no-
 men tum à Luthero sortiti sunt hi, qui citra vocationem affe-
 ctato Ministerio, de interna ac diuina vocatione ad Ministe-
 rium, de viua Dei voce, de visionibus & colloquijs cum Deo
 multa

Prou. 26.
 1. Cor. 4.
 Tit. 2.
 2. Cor. 5.

Ambr.
 VVolffius
 in hist. Au-
 Conf.

Orthodo-
 xus con-
 sequus.

P R I M V S.

multa iactabant: quorum primarius patronus fuit Carolstadius, qui ipse quoque scripto publico confessus est, sibi apparuisse virum quempiam, à quo sententiam suam de negotio Cœnæ primum acceperit, quem ille Deum patrem fuisse persuasus sit.

XIII.

In quem eundem modum Cinglius scripsit, sibi in summo angore & difficultate defendendæ suæ sententiæ de Cœna constituto in somnis ἀπὸ μηχανῆς monitorem apparuisse (Ater fuerit, an albus, nihil memini, inquit) à quo responsionis & defensionis materiam acceperit. Dignas habent labra lactu-

In subsidio Eucharistiæ

XIIII.

Partes libri sunt quatuor, Procemio in, ἀνασκευὴ falsæ sententiæ duplex: κατασκευὴ doctrinæ veræ, una, eaq; ἑγχεματα. Quia enim partim scripturis, partim rationum argumentis, Carolstadius sententiam suam firmare nitebatur, procemio absolute istorum firmamentorum partem primam Lutherus demolitur. Cui tractationi mox confirmationem veræ sententiæ, ex planis Scripturæ fundamentis subnectit. Quo peracto, rationum aduersantium robora Lutherus demolitus, suæ causæ nullo ex rationibus requisito firmamento, mox receptum canit.

XV.

In procemio τὰ προσωπικὰ circumspiciuntur. Prospicit enim Lutherus futurum pro temporum ratione, ut in diuersa hominum iudicia causa ista incidat. Hic animos munis præceptor optimus, ut firmato iudicio, nihil vndequaquæ damni accipiant: fidelissimi doctoris hac in parte functus officio, cuius partes sunt, non tantum doctrinam puriorem fideliter proponere: sed quo modo ea ad usum præsentis seculi accommodanda sit, diligenter ostendere.

XVI

In personarum ordine primi sunt Pontificij, qui ex isto Ecclesiæ Euangelicæ schismate tripudij materiam captant, imò in spem amplam veniunt, ruituræ nostræ Ecclesiæ. His fidei Heroicæ Gorgona opponit Lutherus, sic argumentatus.

L I B E R

1. Si quæ ex DEO sunt opera, extingui vi humanâ nequeunt: quæ ex eodem non sunt, potentia nulla possunt conseruari, neq: debent etiam: friuolum est, vel de istoram interitu anxios, vel de horum conseruatione sollicitos nos esse.

Doctrinæ Euangelij reformatæ alterutra est conditio, hoc est, aut ex DEO est, & sic extirpari nequit: aut non ex DEO est, & sic conseruari humana potentia nequit.

Igitur friuolum est, interitum eius metuere, si ex DEO est, vel de conseruatione laborare, si ex DEO non est.

2. Addit & alterum nihilo minus Achillei roboris argumentum:

De conseruatione causæ alienæ, Dei: solius propriæ, quæq; nobis nihilo, ipsi plurimum constat, & neq; seruata lucrum, neq; amissa datum nobis parit, meritò nostrum quisq; potest esse securissimus.

Causa Euangelij sic est, vt dixi, comparata. Igitur de eius conseruatione possumus & debemus esse securissimi.

Sic animis piorum munitis contra Papistarum tripudia, quæ metum nostratibus incutere queant, corollarij vice talem σοχασμὸν obijcit: DEVS per contraria non rarò agit, ita vt cum maximum verbo atq; operibus suis incrementum est daturus, summè ea infirmari patiatur, quò magis impios stultitia & infirmitate ista confundat, excæcet atq; induret. Cuius rei in Cruce CHRISTI exemplum nobis euidenter relictum est. Quid igitur? si per præsens schismatis istius scandalum idem in Ecclesia sua DEVS efficiat. Viderint Pontificij, quàm probe Vates iste diuinauerit. Nos quidem mirandæ DEI omnipotentia gratias immortales meritò agimus.

XVII.

Secundo loco personam infirmorum, qui in Cœnæ usu ex hoc dissidio turbantur, Lutherus in hoc graui scandalo considerat. Qui tales sunt, vt in causa ista hæsitent, his consultissimum fore putat: si omisso ad tempus Eucharistiæ usu, in verbo DEI, fide ac charitate se exercent. Nititur hoc consilium ratione Paulina, qui dubio animo vetat in sacris quicquam fieri: quia quicquid non ex fide proficiscatur, peccatum sit,

Tertia

Rom. 14.

23.

Tertia aduersariorum est persona, quos graphicè admodum depingit, idq; primum hac fere nota. Sacramentarium & pavidus est Spiritus, & simul etiam audacissimus atq; ferocissimus, Sed diuerso vtrumque tempore. Pavidus est ac timidus, cum ex assensu hominum atq; approbatione multorum, nondum vires acquisiuit: hinc humi repit, per cuniculos agit, clanculum virus suum spargit, fugit, nemine persequente, terret eum sonitus folij volantis, & fugit ad eum, quasi ad gladium. Vicissim, vbi applausu hominum potitus est, vbi se etiam suam inualuisse videt: hinc nihil isto est ferocius, nihil audacius atq; truculentius. O vatem in re verissima diuinum.

Leuit. 266

2. Quid istuc verò est *κρηνη*? Hæc nota Spiritum arguit mendacem. Qui enim Spiritu Domini agitur in causa Religionis, in eo vis intrepida Spiritus cœlestis sese manifeste exerit, nec quicquam moratus vel applausum, vel aduersationem hominum, vel solus, vel cum paucissimis, causam veritatis apertè tuetur. Hæc vis olim in Elia & Ieremia: nostro seculo in Luthero se exeruit. At timide profiteri causam veritatis, per occultas strophas sese clam insinuare, & tandem prætexere, Se olim non fuisse in tanta luce, & Spiritus plenum robur nondum sensisse: hoc fanatici, hoc male sibi de veritate conscij Spiritus esse, Lutherus admonet, contra quem in bona causa nostra intrepide & summa cum fiducia nobis agendum esse docet. O, monitorem, in re graui, fidelissimum.

XIX.

Altera nota ad modum doctrinæ tractandæ Sacramentarijs vsitatum pertinet.

Ad hanc notam explicandam aliquot hypothesibus præmissis, opus est.

1. DEVS opt. max. ex paterna bonitate, aperto clementiæ suæ thesauro, doctrinam Euangelij nobis quasi postliminiò rursus est largitus.

2. Huic cœlesti beneficio Satan est inferissimus, & quod vi hætenus efficere non potuit, nunc dolis ac fraudibus tentat per Pseudopphetas.

Bifariam

L I B E R

3. Bifariam autem in doctrina Euangelij nobiscum agit
D E V S. I. externè: deinde internè. Externè quidem, per
 vocem prædicationis, & *σφραγιδας*, id est, sigilla Sacramento-
 rum. Internè per Spiritum sanctum, fidem, & similia dona.

4. Modus autem atq; ordo diuinæ actionis hic est, vt ex-
 terna organa præcedant: internus fructus sequatur: adeò vt
 stet **D E O** sententia, interna illa dona, nisi per externa ista or-
 gana nemini conferre, Luc. 16. Tit. 3. Rom. 1.

Hunc ordinem diuinæ actionis partim inuertit, partim
 prorsus è medio tollit Spiritus Sacramentarius: illud quidem
 permutando diuina: hoc, humana in res sacras inferendo:
 quod vtrumq; vitiosum est. Exempli gratia, Aquam Bap-
 tismi constituit Christus, quo organo nobis interna conferatur re-
 generatio, Item, Corporis & Sanguinis sui Sacramentum pro-
 pinat idem, vt hoc dignè frui, cum Christi Spiritu, intus per
 fidem coalescamus. Hic ingentes de Spiritu atq; interna ope-
 ratione clamores Spiritus iste Sacramentarius excitat, negans,
 Aqua fieri posse, vt renouemur: cibo & potu fieri posse, vt
 cum Spiritu Christi coniungamur: Spiritus hæc esse munia, fi-
 dem hic solam operari. Hæc ordinis diuini est inuersio, qua
 Spiritus ipsius habitus, pro medio consequendi Spiritus poni-
 tur, id est, gratia ante gratiam haberi docetur, & non tam
 ostenditur, quomodo Spiritus sanctus ad nos, quàm quomo-
 do nos ad Spiritum sanctum venire debeamus. Rursus vbi de
 externis rebus Christus nil præcipiens, in puritate mentis atq;
 fidei interno obsequio acquiescit: hic Spiritus Sacramentarius
 statutis externis omnia complet: Imagines atq; altaria non fert
 in templis, Panem azymum exterminat, nomen Missæ & voca-
 bulum Sacramenti abominatur, eleuationem diris deuouet,
 habitum sacerdotalem atq; alios ritus adiaphoros anathema-
 te ferit: hoc est, abrogat sancita, abroganda constituit, &
 quod Lutherus scite dixit, *Sahren sie heraus / wa Gott hinnein
 wil / Vnd sahren hinnein / wa Gott heraus wil.* Quod Satanicum
 esse, nemo pius est, quin intelligat.

XX.

In controuersia ipsius tractatione *ἀνασκευαστικῆ* prima,
 primum hoc nascitur *ἀπόβλημα*: Rectene fecerit Lutherus, qui
 Cœnam

P R I M U S

Cœnam Dominicam, Sacramenti vocabulo indigētet. Partes
εργασίας hæ sunt.

1. *υποφορά* Carolstadij est, Vox ista est *ἀγραφος*. Concludit,
 Vsum eius repudiandum esse.

2. *συγχώρησις* Lutheri. Esse *ἀγραφον*: à CHRISTO neque
 sic appellatam esse Cœnam, neq; vt sic appelletur, præceptum
 esse.

3. *ἀνθυποφορά*: Sed neq; ab eodem, ne sic appelletur, prohi-
 bitum esse.

4. *ἀντέγκλημα*: Quis igitur Carolstadio interdicti istius po-
 testatem fecit?

5. *ἀντικατηγορία* Carolstadij. Sed non nominatur Cœna eo,
 quo Christus appellauit nomine & Apostoli.

6. *ἀπόφασις* Lutheri. Nam & Cœna Domini, & Panis ac
 Calix Domini appellatur, quæ sunt *ἔγγραφα* vocabula.

7. *ἐπανόρθωσις*. Sic igitur instituenda Carolstadij fuisset ac-
 cusatio, si quid in ea valoris esse debuisset, Lutheranos præci-
 pere, vt Cœna appelletur Sacramentum, & prohibere, ne ea-
 dem Cœna nuncupetur.

8. *ἀήλις*: At hoc ille salua conscientia de nobis scribere
 non potuit. Liberrimus enim cuiq; appellationum istarum
 vsus, tanquam rei adiaphoræ, conceditur.

9. *πύρισμα*: Tyrannidem igitur in Ecclesia exercet Carol-
 stadius, qui libertatem istam in fidelibus carpit.

10. *ἐπεξηγήσις*: CHRISTVS corona in Scripturis nusquam
 appellatur. Nec peccauerit tamen, qui eum cordis sui coro-
 nam dixerit. Vocamus articulos fidei, capita Bibliorum. Ne-
 mo tamen ista meritò reprehendit.

11. Conclusio Lutheri talis est, Vt, quia libertas Christia-
 na pari cum articulis fidei loco nobis esse debet, ita vt pro ea
 retinenda, facienda sint, quæcunq; contra ipsam prohibentur:
 omittenda autem, quæcunq; contra ipsam præcipiuntur, vsur-
 patio istius vocabuli ad libertatem Christianam omninò perti-
 net: qui aliàs Sacramentum sic non appellaret, si sit cum gre-
 galibus Carolstadij, tum verò demum necessariò sibi ista ap-
 pellatione vtendum sciat, ne quid libertatis Christianæ vsus ac
 Professio damni accipiat.

C

Secun-



L I B E R

XXI.

Secundum caput est de præsentia Corporis & Sanguinis Dominici in Cæna. Eam Carolstadius, Sacramentariorum Patriarcha, prorsus negavit. Hic fons, hæc origo fuit Sacramentarismi: hæc eadem eius hodie quoque forma est atque anima. Garriunt aliqui non de substantia corporis Christi præsentis in Cæna amplius esse inter partes controuersiam: sed de modo duntaxat præsentia. Hos aut nihil habere de controuersia ista perspectum, aut gnauiter esse impudentes, necesse est.

XXII.

Sententiæ suæ fundamentum Carolstadius ex Scripturis primarium hoc habuit. Corporis in Cæna manducandi in Verbis Institutionis mentionem nusquam fieri. Nam quod sic habeant verba Christi, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Facite hoc in mei commemorationem: fallaciam compositionis & diuisionis committi, si quod edere iussit Christus, id ab eo corpus suum dictum fuisse quis interpretetur. Verbis enim istis, Hoc est corpus meum, nihil esse commune, cum præcedentibus verbis Accipiendi & Edendi, sed hunc esse Orationis istius Dominicæ nexum: Vos quidem discipuli mei edite hunc panem, & facite hoc in mei commemorationem. Ego verò Saluator vester hîc adsum: en hîc sedet corpus meum, quod pro vobis in Cruce traditurus sum.

XXIII.

Hæreticorum sententias reuelasse, perinde esse quispiam ex veteribus dixit, atque easdem refutasse. Quod vel maximè de hoc furore Carolstadij dici queat: Ausus est tamen ille rationibus in medium allatis pro eo defendendo contendere. Rationibus autè vsus est tribus, sanè tali furore quàm dignissimis.

1. à punctatione. Nam verbis istis, Hoc est corpus meum, præfixam esse notam puncti periodici.

2. à nota literarum, quæ fronti horum verborum data sit maiuscula: Igitur orationi huic cum præcedente nihil commune esse.

3. à regula Grammatica. Nam quia adiectiuum pronomen *τὸ*, masculino nomini panis in genere non conueniat: planis-

P R I M V S.

planissimum esse, orationem illam *περὶ τῷ τῦτο*, ad præcedentem, in qua fiat mentio Panis, non esse referendam.

XXIV.

ἀνασκευὴ Lutheri sequentibus constat capitibus.

1. *ἐκφώνημα*: dolendum, eo usque humanam audaciam furoris progredi, ut Verba illa Testamenti Christi tam foedè discerpere, & in scopas quasi dissolutas redigere auserit.

2. *σοχασμὸς*: Vix probabile esse, quin vel contra testimonium propriæ conscientiæ: vel ex mera atque extrema desperatione tam improbè in re seria aduersarius ludat.

3. Canon interpretationis, & analogia fidei. Cum nullus articulus fidei sit, cum quo continua orationis series pugnet: impietatis esse, *ἀπὸ τῷ ζυτῷ καὶ τῷ χράμματος* ad monstrosam istam rupturam orationis se conuertere.

3. *ἐπίπληξις*, Rem tanti momenti, talibus *λεπτολογήμασι καὶ φλυαρογραφίαις* superstruere, nimis stolidum esse.

5. A distributo ad non distributum vitiosè colligi: Puncta aliquando diuersitatem orationis notant. Igitur idem fit etiam in præsentis loco.

6. *παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον*: Maiusculas non semper nouæ orationis notandæ causa: sed dignitatis rerum significandæ, aut memoriæ acuendæ gratia apponi.

7. *παρὰ τὸ σχῆμα ἢ λέξις*. Vocabulum enim *τῦτο* est *δεικτικὸν* materiæ præsentis, non relatum ad genus præcedentis nominis. Quod vsitato *ἑλληνισμῶ* fieri, pueris etiam non ignotum est.

8. *τὸ ἀτοπὸν καὶ ἀδύνατον*. Si enim in priori hac parte verborum Institutionis, interpretatio ista admittatur: in posteriori, de Calice & sanguine **CHRISTI**, aut nulla, aut non nisi absurdissima interpretatio dari poterit.

9. Et quæ hîc *σπριβλότης* foret in oratione **CHRISTI**, si is in cursu orationis continuo, vno & eodem temporis momento de rebus diuersissimis, discipulorum scilicet suorum manducatione, & corporis sui sessione locutus fuisse, tandem rursus per saltum ad materiam præsentem reuersus esse fingeretur, cum absoluta *ἐπιμβολῆ* peregrina, manducationem in sui recordationem faciendam esse subiunxit?

10. Deniq; analogia rerum præsentium in hac causa etiam repugnat.



L I B E R

Porrecto enim pane, cum edere eos iubet, solidioris substantiæ facta mentione, & cibo prorsus analogæ, id corpus suū esse dixit. Exhibito vino cum bibere iubet, analogia rerum iterum obseruata, sanguinem suum id esse affirmavit: quod facturus nunquam fuerat, si eius illius potusq; rationem his ipsis verbis explicare animus illi non fuisset, idq; in mensa præcipue, & medio quasi Cœnæ conuiuio. Hactenus prior ἀνασκου.

XX.

Κατασκου Lutheri, de præsentia Corporis & sanguinis CHRISTI in Cœna Dominica, testimonia firma continet, eaque omnia ἔγραφα. Quorum primum ab analogia partium Sacramenti desumptum est.

Partium Sacramenti ab Euangelistis tribus & Apostolo vno, fidissimis Spiritus sancti amanuensibus, descriptarum necesse est, mutuum esse respectum, & exactissimam quandam analogiam, ita, vt quem sensum pars habet vna, is alteri etiam necessariò congruat.

Math. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.
1. Cor. 11.

Atqui posterioris partis ea est apud istos omnes descriptio, quæ & continuum orationis nexum, & manifestam Sanguinis Dominici in calice benedicto exhibitionem liquidissimè demonstrat.

Igitur vt continua etiam sit orationis in parte prima series, & Corporis Dominici in pane benedicto certa exhibitio, necessariò consentaneum est.

1. Cor. 10.

XXVI.

Quadruplici isti testimonio, secundo loco Pauli ad Corinthios alius textus subiungitur: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis CHRISTI? & panis quem frangimus, nonne communicatio corporis CHRISTI est? ἔγραφα huius loci primum est.

Συρατικὸν 1. Fulminis instar locum hunc esse aduersus Sacramentarios Lutherus pronunciat, quo vel solo pij firmari, aduersarij omnes confundi possint.

2. Cordis sui in tentatione, quam de hac controuersia sustinuerat, viuam medicinam fuisse hunc locum Apostolicum, Lutherus pronuntiat.

Secunda loci huius tractationis ἑνδομηματικὸν est.

Panis

P R I M U S.

1. Panis est communicatio corporis CHRISTI, inquit Paulus, externo organo tribuens communicationem corporis CHRISTI. Friuolum igitur & fanaticum est, quod inuersione sua *καὶ ἰσσοστροφεία* sua vsu Sacramentarij, Fidei internæ hoc acceptum terunt.

2. Panis est communicatio corporis CHRISTI. Falsum ergo fuerit, quod beneficiorum, passionis atq; efficaciar corporis CHRISTI participatio in Cœna à nonnullis fingitur. Quod si panis etiam horum bonorum communicatio foret, equeretur, Iudam etiam atq; impios morte CHRISTI participare. Quod est longè absurdissimum.

3. Fractio distributionem in Scriptura significat. Esai. 58. Thren. 4.

Improbè igitur faciunt Sacramentarij, qui frustulationis manuariæ necessitatem ex hac metaphora eliciunt.

4. Panis, quem etiam nos frangimus, inquit Apostolus, est communicatio corporis CHRISTI. Caret igitur Fundamento Carolstadij hypothesis, dicentis, Si maximè in prima Cœna CHRISTVS corpus & sanguinem suum distribuisset: non tamen eandem fore sequentiū etiam temporum rationē.

5. Panis, est communicatio corporis CHRISTI. Comedunt autem panem etiam indigni. Igitur corpore CHRISTI communicant. Quod si spirituali communionē non participant isti, vt sanè minimè participant; tertiam aliquam atq; intermediam corporis CHRISTI communicationē ostendant nobis Sacramentarij, quia Sacramentalem non concedant: cum nobis præter duos illos participandi corpore CHRISTI modos, tertius non sit cognitus: Et tum non panem corporis, sed panem panis communicationem esse dicent.

Ultima huius loci tractatio est *προβληματικὴ*. Si enim hæc Pauli mens est, cur non nudè dixit panis, quem frangimus, est corpus CHRISTI? Resp. Vt sub sua quemq; portione, ex fracto pane, corpore CHRISTI participare ostenderet.

XXVII.

1. Cor. 11.

Testimonijs allatis Lutherus pro confirmanda corporis CHRISTI & sanguinis præsentia in Cœna Dominica, porrò
C 3 alium

L I B E R

illum Apostoli locum adiungit, qui sic habet, Quisquis manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Hic locus ἐλεγκτικῶς à Lutherò consideratur, idq; bifariam, ex parte scilicet subiecti & prædicati, qua vtraq; deprauationi Sacramentariorum erat obnoxius.

1. Deprauatio ex parte subiecti talis est. Indignam manducationem illi interpretantur, vitiosam commemorationem passionum & mortis Dominicæ, vt indignè manducare simpliciter idem sit, quod mortem Domini non piè annunciare: Cui peccato demum ab istis reatus ille, de quo Apostolus verba facit, tribuitur.

In hac deprauatione Lutherus primum rursus notat Spiritus Sacramentarij præposteram σφειβότητα. Nam quod Apostolus de externa actione manducationis & bibitionis dicit, hoc illi ad internam infidelitatis labem simpliciter relatum volunt.

2. Fallaciam τῆ συμβιβηκότος καὶ παρὰ τὸ πᾶν καὶ ἀπλῶς annotat. In verbis Pauli duo sunt 1. actio, eaque non vna, sed duplex, manducatio scilicet & bibitio. 2. modus seu qualitas rei siue actionis, quæ est indignitas: quæ qualitas absolute considerata, infidelitatem quidem & contumeliam in CHRISTUM significat. Verùm hæc qualitas actionem hinc determinat, Manducationem scilicet & bibitionem. Quod igitur indigna manducatio pro infidelitate simpliciter à Sacramentarijs capitur: modus rei cum re ipsa, & qualitas cum actione confunditur.

3. Τὸ ἀνακλόουθον considerat. Si subiectum de interna solum indignitate accipiendum est, sequitur, non nisi vno modo peccatum indignitatis committi posse: quia vna eius peccati forma est. Atqui Apostolus duplicem hinc peccati formam exprimit, vnã quæ manducando, alteram quæ bibendo indignè fiat. Igitur indigna manducatio & bibitio cum indignitate ipsa non simpliciter atq; absolute vnum est.

Altera deprauatio fit ex parte prædicati: Reatum enim corporis & sanguinis Domini, simpliciter pro CHRISTI contumelia accipient Sacramentarij, & corpus ac sanguinem
CHRIST-

P R I M U S.

CHRISTI à pane & vino longissimè sciungunt. Contra hanc corruptelam sic argumentatur Lutherus.

1. Reatus corporis & sanguinis CHRISTI in cœna contrahitur. Igitur illic præsentia esse necesse est.

2. Manducando panem indignè, reatus corporis, bibendo calicem indignè reatus sanguinis CHRISTI contrahitur. Igitur cum pane corpus, cum calice sanguis CHRISTI accipitur.

3. Qui non pie commemorat mortem CHRISTI, non corporis, aut sanguinis CHRISTI seorsim reus, sed in Christum totum fit iniurius. Ergo reatus iste, cum hoc Sacramentali, qui indignè manducando & bibendo bifariam committitur, prorsus non convenit.

XXVIII.

Ultimus locus ex eodem Apostolo desumptus est, qui sic habet: qui indignè manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ex quo sic argumentatur Lutherus, iudicium, de quo Paulus loquitur, non contrahitur, nisi ex reatu corporis CHRISTI.

Iudicium illud manducando contrahitur.

Igitur corpus CHRISTI manducatur.

XXIX.

Ultima pars exercitus Carolstadiani manipulo furum, id est, ijs probatiunculis constat, quæ ex dictamine rationis humanæ sunt depromptæ. Quæ quamvis præteriri queant in hoc mysterio, tanquam responsis indignæ: *ἐν περιτοίαις* tamen breuiter singulis respondetur.

XXX.

Primum *κενοσόφισμα* sic habet: Si in Cœna panis est corpus CHRISTI: panem pro nobis traditum, crucifixumq; esse consequitur.

Item CHRISTVS dicit esse corpus suum, quod traditur scilicet in mortem. Atqui tum non tradebatur in mortem: sed in cruce demum. Igitur corpus CHRISTI participari in cœna malè dicitur.

1. Respondet Lutherus, errorem esse *πρὸς τὸ ἐπιμνωθῆναι*. Si naturaliter panis esse corpus CHRISTI diceretur, tum sequere-

L I B E R

queretur collectio. Atqui id nemo dixerit pius. Falsò igitur sic colligitur.

2. *Ἐνασσει παραδειγμάτων.* Ioannes dicit de CHRISTO, Hic est agnus DEI, qui tollit peccata mundi. Atqui ea tum CHRISTVS non tollebat: sed in cruce demum. Hoc igitur modo colligendi, sequetur, CHRISTVM tum falsò prædicatum fuisse à Ioanne agnum DEI, qui tollat peccata mundi. Item CHRISTVS dicit, Ego sum bonus pastor, quia pono animam meam pro ouibus. Atqui tum in Synagoga Iudaica versans, nondum ponebat animam suam pro ouibus. Igitur bonus Pastor verè dici non potuit. Similia dicenda forent de alijs dictis,

Iohan. 10. Ego do istis vitam æternam: Ego sanctifico me pro ipsis, &c.

3. *Τὸ βίαιον.* Si verba ista Cœnæ respiciunt corpus CHRISTI sedens: hac vi collectionis sequitur, CHRISTVM pro nobis non esse crucifixum: quia sedens corpus, crucifixum pro nobis dici non posset. Sin hîc temporis differentia admittitur, vt nunc quidem sedere corpus CHRISTI: postea verò suo tempore crucifigi dicatur: cur istic idem responsum valere non possit, ratio nulla ostendi potest.

4. Ferrum candens vulgò merum ignem esse dicimus: & tamen nemo tam absurdus est, ut vnus essentiæ in alteram factam permutationem putet: sed hac phrasi diuersæ essentiæ arctissimè iunctæ esse significantur. Quid ni idem in Cœnæ negotio locum habere queat? Sic cum de homine CHRISTO prædicatur, quod DEVS sit, naturarum non tollitur discrimen: sed vnio arctissima significatur, quæ talis est, vt vbi homo est, ibi sit DEVS: & vice versa: DEVS quidem in homine corporaliter: homo autem in DEO propter gratiam vnionis personaliter.

5. *ἰπανάθεωσις:* Rectius longè facerent isti fanatici, si omis-
sis rationis suæ argutijs, vel simpliciter in fide omnipotentiae ac veritatis diuinæ acquiescerent: vel si argutari omninò ipsis liberet, ex more Scripturarum & proprietatibus linguarum istud facerent: vel ad figuram saltem Synecdoches se reciperent, qua fieri consuetum est, vt rebus duabus intellectis, vna tantum eaq; præstantior exprimat.

Se-

P R I M U S.

XXXI.

Secundum *παρέσραγμα* rationis sic habet: C H R I S T V S iussit panem comedere. Igitur corpus C H R I S T I in cœna non præbetur. Huic primum Lutherus simplicem *ἀρνησιν* opponit. Nusquam iubemur panem comedere. 2. *κατάφασιν*: corpus suum iussit comedere. 3. *ἀπόδειξιν*: dixit enim, accipite, edite, hoc est corpus meum.

XXXII.

Tertia *καινοτομία* sic habet; C H R I S T V S dixit, Caro mea Iohan. 6. non prodest: Igitur corpus C H R I S T I non est in Cœna præsens. Lutheri responsio his constat capitibus.

1. Est *ἀγνοια ἐλέγχε*: prodesse enim & præsentem esse non vnum habent *ἔλεγχον*.

2. Deductio *πρὸς τὸ ἀδύνατον*. Si sequitur, Caro C H R I S T I non prodest: Igitur in cœna corpus C H R I S T I non est: sequetur eadem ratione, idem nusquam esse.

3. Deductio ad incommodum. Si caro C H R I S T I non prodest, multò minus Panis & Vinum proderit. Igitur ne hæc quidem erunt in Sacramento, ac proinde nullum Sacramentum erit.

4. Crimen falsi: Non dicit C H R I S T V S, mea caro non prodest: sed, Caro non prodest, de carne autem sua dicit, Caro mea verè cibus est.

5. Error *παρὰ τὸ πῦρ καὶ ἀπλῶς*. Caro enim isto loco non carnis substantiam significat aut naturam (hanc enim inutilem C H R I S T V S non assumpsit) sed carnalem sensum. Loquitur enim ex hypothesis Capernaitarum. Perperam igitur colligitur, Carnalis sensus non prodest. Igitur caro omninò non prodest.

6. *ἐπιτίμησις*. Caro C H R I S T I non prodesse dicitur. Profit autem Panis & Vinum, ab istis propositum. Apage scelus & blasphemia.

XXXIII.

Quartum *παρεδοξον* tale est. C H R I S T V S dicit, Esse corpus suum, quod frangitur. At fractioni id non fuit obnoxium. Fractionis ergo voce intelligitur eius passio, vt huius fructus, non corporis manducatio nobis promitti videatur.

D. Lutherus

L I B E R

Lutherus 1. negat interpretationem esse *ἀλόγον* Scripturæ. Nam frangere de externa passione nusquam accipitur.

2. *ἀποσδίβυσον*. Quid enim ad rem, quod CHRISTO OS nullum fractum fuit?

3. Atqui fractionem de distributione intelligendam esse, supra iam admonitum est.

4. *ἐπιφορὰ*. Quod si distribuitur corpus: præsens ut sit, necesse est.

5. *προκατάληψις*. Quod enim pro nobis frangi dicitur: fructum passionis & beneficiorum in cœna esse requirendum ostendere voluit.

XXXIII.

Quinta huius tractationis parte Mendacium committitur: Insimulantur enim nostræ Ecclesiæ, quasi in his doceatur, Salus & remissio peccatorum esse ex fructo panis. Cui mendacio simplex negatio sufficit. Ut tamen pateat innocentia nostræ doctrinæ, Non panis, sed verbo DEI tribuitur, quicquid ex cœna fructuum nostris hominibus proponitur. Et ut magis pateat calumnia, tam non nudo panis vis salutis attribuitur, ut ne corpus quidem & sanguis Domini hac in parte profuit, imò ne CHRISTVS quidem etiam in cruce cum omni sua passione atq; morte, etiam deuotissimè consideratis, si absit verbum, si verbum inquam absit, hoc est, promissio, quæ nos de voluntate DEI certos facit.

2. De peccatorum autem remissione bifariam docetur.

1. Quomodo ea primùm impetrata, & quibus meritis parta sit. 2. Quomodo nobis applicetur. Illud in cruce factum est: hoc fit in verbo atq; Sacramentis. Quod si hanc ergo appeto, hinc mihi requirenda est: hinc enim distribuitur propter vim verbi ac promissionis, quæ tanta est, ut si nudus etiam panis verbo isto instructus sit, inde abesse remissio peccatorum non possit.

XXXV.

Vltimum *φλυαρολόγημα* tale est: CHRISTI corpus in vltima cœna fuisse mortale: nunc immortale esse: proinde pro nobis dari, ac consequenter distribui non amplius posse. Quod si nunc corpus CHRISTI non exhibetur: ne tum quidem in prima cœna fuit exhibitum: quia eadem cum illa prima nobis hodie etiam cœna est.

Capita

P R I M U S.

Capita responsionis Lutheranae hæc sunt:

1. Corpus CHRISTI semel traditum est: sanguis semel fusus est.

2. Efficacia autem huius, nullius vel temporis, vel loci est propria: sed est omnium temporum.

3. Mihi igitur traditur, tibiq; , corpus Domini, nobis sanguis eius funditur, cum eius in verbo & Sacramentis fit distributio.

XXXVI.

Reliqui leuioris armaturæ milites sunt, & fanaticæ obiectiones, quas paucis Lutherus perstringit.

Si in cœna esset corpus CHRISTI, cœlo descendendum illi atq; ascendendum esset: Atqui in cœlis est. vsq; ad consummationem seculi. Resp. Non fieri descensum, neq; opus eo esse. Vidit Stephanus IESUM, sed non cœlo egressum, verum stâtem à dextis DEI. Nec ratio regni CHRISTI à fanaticis intelligitur, qui in omnibus locis est, & teste Paulo, omnia implet.

2. Matth. 16. CHRISTVS variatione subita Petræ & Petri vitur. Igitur in cœnæ etiam verbis, rerum est diuersitas. Res p Posito illo, non hoc in rebus disparatis sequitur. Atqui orationis utrobique ingens etiam est diuersitas.

3. Matth: 24. dicitur Si dixerint, hic aut istic est CHRISTVS, nolite credere. Lutherani dicunt illud Hic de cœna. Igitur illis non est credendum. Resp. Differunt hæc duo, si de CHRISTO loquar in concreto: & si de corpore & sanguine CHRISTI loquar. De toto CHRISTO, eiusq; regno malè dicitur, Hic vel illic est: non enim venit regnum DEI cum obseruatione: personis scilicet locis aut temporibus alligatum: sed intus in nobis est. Quamuis hinc non sequitur, CHRISTVM nullibi: sed potius ubiq; esse & omnia implere. De corpore CHRISTI rectè dicitur, Id in cœna esse, non quidem cum obseruatione, quasi circumstantijs loci, temporis &c. alligatum.: sed voluntate CHRISTI ac promissione, quæ est liberrima & certissima.

XXXVII.

Colophonis loco notandæ sunt ex libro Lutheri regulæ, aphorismi, theoremata & vaticinia, quæ magnum in Theologia vsum habent.

L I B E R P R I.

1. Vaticinium de Sacramentariſmo. Diabolus nondum prorsus in publicum prodijt: habet adhuc aliquid in recessu, quod dudū olfeci: id proferatur in lucē cum Deo visum fuerit.
2. Pro libertate Christiana non minus, quā pro articulo fidei est pugnandum.
3. Principium Sacramentariſmi est, Non possum credere, quia ratione non comprehendo.
4. Ad Sacramentariſmum profitendum non est opus Spiritu sancto: sed cuius natura ipsa sufficit.
5. Omnes articuli fidei captum rationis humanæ superant.
6. Si quid credendum Scriptura proponit, τὸ ἐν τῷ semper in verbis retinendum, nisi expressus & manifestus articulus fidei contrarium cogat.
7. Fides non apicibus aut punctis niti potest: sed pro fundamento, clara, perspicua, expressa Scripturæ verba requirit.
8. Si quis opinioni humanæ superstruere articulum fidei audeat: is nihil non in Religione auſit.
9. Regulis Grammaticis fides in religione non niti potest.
10. Etiam manifestis Scripturæ dictis instructi vix aduersus Diabolum consistimus: quid sine istis nobis futurum sit?
11. Ratio scortum est Diaboli.
12. Natiua lingua est Regina in Interpretatione Scripturæ.
13. Si totus mundus doctrinam nostram de cœna improbet & reijciat, hoc floccifaciendum est. Mirum enim non est, multos in hac materia errare: Mirum potius est, aliquos superesse, qui de ea rectè sentiant, quantumuis paucos.
14. Sophisticis suis argutijs Sacramentarij paulatim eò deuenient, vt negent Diuinitatem CHRISTI. Qui enim negat Panem esse corpus, eadem facilitate negabit, Hominem esse DEVM. Rationi enim vtrumq: pariter est credibile.
15. De Sacramentariſmo idem quod de Arrianismo dici potest, quod credentibus incredulitatem: incredulis crudelitatem afferat: Et Epicurismum manifestum pariet nobis. Vix enim timor & reuerentia conseruari hætenus potuit, dum verum corpus CHRISTI in cœna creditum fuit. Quid fiet, si panis & vinum duntaxat in cœna esse mundo persuadebitur, DEVS nostri misereatur, errantes conuertat, nos conseruet.

A M E N.

M E G A

MEGALANDRI LUTHERI.

LIBER SECVNDVS IN
CAVSA SACRAMENTARIA, QVI
INSCRIPTVS EST, QVOD VERBA CHRIS-
TI HOC EST CORPVS MEVM, adhuc in-
concussa mancant, in theses atque asser-
tiones resolutus.



I.

Libri Lutherani de victoria verborum
CHRISTI in causa cenæ Dominicæ, ἀνάγνωσις
suscepturi, commodissimè fecerimus, si bipar-
titam eius tractationem instituerimus: primo
loco, momenta causæ: secundario, quæ ad
pelsime causæ patronos in Certamine Sacra-
mentario pertinent, proposituri.

II.

Primæ Partis ἀποθεραπευτικὰ quædam præmittuntur. Quæ-
ritur enim primò, cur scribatur aduersus eos, apud quos scri-
bendo nihil proficitur? Responsio habet duo. 1. μετασασιν: propter ipsos erroris patronos atq; autores nequiquam scribi. Addita est ἀτιολογικὴ θέσις: Spem nullam esse de conuersione hæreticorum doctorum, præcipuè ipsorum hæresiarcharum: idq; propter peccati, quod in deprauanda doctrina Christiana admittitur, atrocitatem: tum ὑπόθεσις etiam: Neq; à CHRIS-
T O summorum pontificum aut sacerdotum: neq; à Prophe-
tis priscis, Pseudoprophetarum: neq; ab Apostolis Pseudapo-
stolorum; neq; à Patribus Ecclesiasticis hæresiarcham quen-
quam conuersum esse.

2. Θεσις verarum causarum. 1. scribi propter infirmos & simplices. 2. scribi, pro veritatis ipsius patrocinio & declaratione. 3. scribi, pro edenda confessione. Testatum enim vult Lutherus hoc scripto, idq; coràm DEO, & mundo

L I B E R

vniuerso sibi cum Sacramentariorum blasphemijs & furore neq; fuisse quicquam commune, neq; esse, neq; futurum esse in perpetuum. Qua protestatione, mendacij conuincuntur, qui Lutherum à sententia sua in hoc negotio tandem discessisse: vel si iam superstes esset, mitius de causa ista sensurum esse, nungantur.

III.

Secundò, Parnè verò, atq; æquum est, Cinglianorum doctrinam damnari, auctoriq; Satanæ tribui? Rectè hoc fieri à se se Lutherus sic confirmat: 1. Quia sic esse animo certissimè persuasum ha'beat, Ergo qui contrarium faciunt, seu pacis studium ac modestiam, seu quiduis aliud prætexunt, aut ignorantia causæ adhuc laborant, aut fouent aliquid ὑπελον: alioquin à fide cordis, confessio oris non foret dissentanea. 2. Ipsorum Cinglianorum exemplo, nimirum summorum, vt haberi volunt, angelicæ modestiæ & mansuetudinis magistrorum. Nam ipsi doctrinam nostram impietatis damnant, Spiritu D E I vacuos, panacei D E I cultores nos esse criminantur, & quæ sunt hisce diriora multa alia. Quidni ergo Lutheranae modestiæ idem facere in causa meliori liceat?

IIII.

At causa, inquiunt isti, non est momenti tanti, vt propter eam concordiæ, pacis & Charitatis Christianæ vinculum sit rumpendum. Multa sunt responsionis Lutheranae membra.

1. Μετάθεσις αἰτίας, Seiplos accusent Sacramentarij, scandali huius auctores: non nos. Nisi verò lupo agnus riuum iterum turbauit.

2. Protestatio contraria est facto. Nam pacem flagitantes, ne hodiè quidem liti nuntium remittunt.

3. Ἐναλίξις alia. Exigui momenti causam istam appellant. At nulla est, quam crebrius, quam studiosius tractent, nempe sic comparatam, quasi prora ac puppis vniuersæ Theologiæ suæ in ea consistat.

4. At manifestus interim diaboli sarcasmus subest. Nempe rebus omnibus turbatis, vt iocularium malum faciat, leuiculum esse oggannit, vnde tam dirum in Ecclesia incendium tandem exarsit.

Volunt

S E C V N D V S.

5. Volunt etiam hoc dicto conscientia suae palpum facere Sacramentarij. Diffidunt causa suae. Si igitur ea cadant tandem, mature conscientiae sauciatae refrigerium parant, ut leuiculae duntaxat causa iacturam fecisse videantur.

6. *ἐπιχειρησις*, Agitur de veritate verborum CHRISTI in coena. Hanc ab alterutra parte impugnari, hoc est, CHRISTVM mendacij argui DEVM blasphemari, mundum foede decipi & turbari necesse, & ex hoc ipso consequens est, alterutram partem contradicentem, diabolo mancipatam, atque in odio DEI esse. *πρόσισμα*. Produnt ergo Sacramentarij suum spiritum, cuius proprium est, cum impijs omnibus, Verbum DEI non magnificare.

7. Ex parte consequentis, maledictam Lutherus, atque extremè execrandam pronunciat talem pacem & concordiam, quae cum contumelia DEI, & cum veritatis iactura sit coniuncta.

8. Additur *ἀτιολογία*, quia praeposterum sit, & haereticum, Verbo DEI charitatem humanam antepone, ut prima tabula cedat secundae.

9. Christiana verò ea demum est concordia, quae in spiritu consistit, quamque fidei, & sententiae de rebus diuinis similitudo conciliat.

10. Pacem politicam haud equidem aegrè cum ipsis colimus. In spiritualibus autem, vitabimus, damnabimus, refutabimus ipsos, dum spiritus hos reget artus, ut haereticos, ut Verbi diuini deprauatores, ut blasphemos, ut mendaces, & quas ab illis persecutiones patimur, patienter tolerantes, pro conuersione ipsorum preces ad DEVM sedulo faciemus.

11. Summatim dicendo, sic responderi istis hominibus potest, quemadmodum CHRISTVS Ischariotae discipulo respondit Iuda, num filium hominis osculo prodis? Pax est enim proditoria, osculum ipsum Iudae est, cum pacem isti a nobis flagitant.

V.

κατάστασις, libri arx & sedes belli haec ponitur, Cum Christus accepto pane, benedictoque, discipulis dixit, *Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, hoc est* ita firmiter

*τὸ ἐναντίον
ἰόν.
προσδιόριστος.
συμπέρασμα.*

L I B E R

ter statui, ita plenè confirmari manifestam corporis in cœna præsentiam, vt Sacramentarismus ne quidem in speciem habeat, quo suum figmentum contra huius *ἐπιτῶ* robur tueatur, adeoq; hoc solo ariete validissimè prosterni queat.

Τὰ διηγηματικά 1. Verba sunt omnia simplicia, perspicua, adde etiam testamentaria.

2. Accepit **CHRISTVS** panem, acceptum porrexit.

3. De accepto porrectoq; pane, dixit, accipite, edite, Hoc (quod accepi ego porrexiq;, quodq; vos accipitis iam, atque editis) hoc inquam **EST** corpus meum.

4. Illustre deniq; *προσκατηγήρημα* addit, esse illud ipsum corpus, quod pro nobis tradatur.

5. *ἐπιφορὰ*. Huic ergo *ἐπιτῶ* innixi, hîc pede fixo, statuimus, credimus, docemus, in cœna verè & corporaliter manducari corpus **CHRISTI**.

6. *ἐπιδήγησις*. Rem ipsam, qualis sit, tenemus: modus facti prorsus nobis est, imò verò esse etiam debet incognitus. Verbo **DEI** enim fides est habenda: modus diuinorum factorum non est scrutandus. Panis oculis cernitur, corpus Christi adesse, aurium sensu percipitur, vnde ad fidem proxima est progressio.

VI.

Sequitur *σύζησις* & conflictus sententiarum. Cinglius in verbis cœnæ **EST** interpretatur per significat. Oecolampadius Corpus, pro figura corporis accipit, vt perinde sonent verba **CHRISTI**, ac si dixisset, Edite, hoc est signum corporis mei.

2. *στάσις*. Quæritur, vtrapars ad sensum veritatis accedat.

3. *προκατάληψις*. Quod nostræ interpretationis probationem requirunt ex Scripturis, sarcasum improbum respicit, nec meliori candore fit, quàm si ego creationem mundi ex nihilo inficiatus ad locum Mosaicum (In principio creauit Deus cœlum & terram) ab aliquo oppositum respondeam, Deum isto loco significare cuculum: Creare idem esse, quod deuorare: cœlum & terram sonare currucam cum plumis, vt sensus eius dicti sit talis, Currucam à cuculo integram deuoratam esse: data verò hac interpretatione prouocem ad Scripturas.

& ex

S E C V N D V S.

& ex istis Creationem mundi ex nihilo probari mihi flagitem :
Scripturis enim manifestis explosis prius, tum demum scriptu-
ras flagitare, hoc merè diabolicæ cuiusdam petulantia est atq;
impudentiæ.

4. *μετάθεσις*. Quod si probatio requiritur : iudicet non or-
bis tantum Christianus : sed totus etiam œcumenicus, cui par-
ti incumbat probatio, Luthero, an Cinglio ?

5. *Συμπέρασμα*. Summa huc redit, Lutherum pro sua sen-
tentia manifestum habere *ἐστὶν* C H R I S T I, Hoc est corpus
meum, cui soli sine alia probatione ille inniti potest : Cinglio
& Oecolampadio. si signum pro essentia, figuram pro corpo-
re sumant, sine probatione fidem haberi nullo modo posse.

VII.

Et quamvis sensus interpretationis eodem vtrinq; reci- *διλωσις*
dit; quia tamen in modo variat interpretatio : Cinglio hoc
probandum incumbit, Est, pro significat in scripturis accipi :
Oecolampadius monstrabit, Corpus pro figura corporis ibi-
dem poni.

Quod si vterq;, quod diximus, probauerit, ne sic qui-
dem fidem suam liberauerint : sed necesse ipsis fuerit demon-
strare, quod in hac ipsa, de qua agitur, materia, id est, in
verbis Institutionis sensum istum verba C H R I S T I obti-
neant.

VIII.

At enim Paulus inquit, Petra erat C H R I S T V S, Item 1. Cor. 10
in Exodo legitur, Festinanter comedetis. Est enim Paschah *Exod. 12,*
Domini. Quibus in locis verbum E s s e vim significandi ha-
bere Cinglius pleno ore affirmat. Respondetur à Luthero.

1. Repetitionem principij esse. Nam his locis Est pro si-
gnificat accipiendum, id ipsum etiam controuersum esse.

2. Sed esto, quod ille nugatur : Cingliano igitur more
probari potest, Saram semper mansisse virginem : quia Maria
talis mansit. Probatio autem erit, ex puris particularibus, hoc
est, plumbea.

3. *Ἰουδαϊκὴ μινεΐαν* esse. Nam Apostolus non de petra simpli-
ce, sed spirituali, loquitur : quæ non significabat C H R I S T V M :
sed C H R I S T V S ipse erat. Moses non agnum dicit esse Pasah

E Domi-

Domini: sed de toto ritu istud prædicat, qui totus non significabat: sed erat victima Palah. Similis est reliquorum dictorum ratio, in quibus vera ὑπαρξίς in σημασίαν à Cinglio perperam commutatur. Pro figura sua, Oecolampadius ne gry quidem ex Scripturis proferre potest. Stat ergo inuictum adhuc τὸ ἐπιτὸν Eucharisticum.

IX.

Postquam Scripturarum præsidio causam suam exutam isti vident, ad diuerticulum ἀντιλογίας se recipiunt, quàm ex præsentia Corporis Dominici, cum articulo Ascensionis exoriri dicunt: & quicquid sit de verbis institutionis, isto articulo euinci docent, corporis Dominici à Cœna absentiam.

Quinam istuc Cingli: inquit Lutherus. Cinglius ad ipsum oculorum sensum, ad rationem humanam omnem prouocat. Anne cœlum sursum Luthere conspicias? An ratio non dicat, corpus quod sursum in cœlo est, simul in terra inferius esse nullo modo posse?

X.

Bella verò rerum πισῶν, inquit Lutherus, ἐκ τῶν βλεπομένων καὶ νοητῶν demonstratio.

2. Iam ergo antiquata definitione Apostolica, fides deinceps erit πραγμάτων ἔλεγχος βλεπομένων.

3. Qua verò autoritate quis reddi potest certior, nulla DEI potentia fieri posse, vt idem corpus simul sit in Cœlo & Cœna? Maximè, quia infinita DEI est potentia: & talia Deus facit, quæ rationem omnem superantia, fide sola apprehendenda sunt. Quid si DEO constarent rationes certæ, vt corpus idem licet non visibiliter: inuisibili tamen modo simul & semel in pluribus esset locis? Qua scriptura mens anxia hîc placabitur.

4. Nostræ causæ egregiè patrociniatur scriptura Rom. 4. *βεβαιώσις.* 21. Quicquid promisit DEVS, potens est etiam seruare. Luc. 1. 37. Apud DEVM nullum verbum est impossibile. At dixit, hoc est corpus meum. Igitur vt tale sit, præstare potest.

5. Nisi verò isti, clam DEO, irruptione in cælum facta, penetralia diuini archiui sic excusserunt, vt potentia DEI ad *ἵερωε' α.* stateram:

S E C V N D V S.

stateram appensa, minorem illam esse, nouo inuento deprehenderint, quàm cui istud sit possibile.

XI.

Cinglio ergo adhuc incumbit probatio ἀντιλογίας in his propositionibus. 1. CHRISTVS sedet in cœlo. 2. Corpus CHRISTI præsens est in Cœna.

2. Cum ratione humana hæc duo pugnare, id quidem ostendit. Verùm hæc in præsentī negotio nulla est probatio.

3. Coram DEO hæc pugnare, & sic quidem pugnare, vè nulla diuinæ omnipotentiae ratione simul stare possint: hoc verò est, cuius probationem sedulo requirimus.

4. Humanæ rationis iudicio fatemur omnes fidei articulos ἀντιλογία laborare. CHRISTVM esse DEVM, itidem pugnat cum Scriptura. Scriptum est enim, DEVS creauit hominem. At coram nostris oculis, & in humanæ rationis iudicio pugnant ista: non coram DEO.

5. Non est autem profectò erroris huius origo & causa maior alia, quàm quod rationi humanæ absurda videtur corporis Domini manducatio.

6. Cinglius per omnem vitam à se eam nunquam creditam esse palàm fatetur.

7. Carolstadius cuidam dicebat, DEVM esse in pane & vino, id nunquam mihi persuadebis.

8. Eandem mentem prodit Oecolampadius suis illis κενσοφισμοι, dum quæritat, Quorsum istud proficit adeò? Cur panem discipuli non adorarint? Cur Scriptura miraculum hîc non notarit? Quorsum sit, vt CHRISTVS adsit inuisibilis? cur tam difficilia credenda Christianis proponantur? Quomodo maiestati Regis CHRISTI conueniat, vt etiam ab impijs sic tractetur: Inprimis profanum cor, blasphema verba arguunt, dum DEVM nostrum vocat pistum, panaceum, carneum &c. Quæ omnia quod rationis humanæ sentinam redoleant, nemo pius est, quin facilè intelligat.

9. Adeò nihil habent isti ex Scripturis, quo vel in speciem probare opinionem suam possint. Stat ergo adhuc inuictum τὸ ἔκτλες Eucharisticum.

At non pugnare vel cum Scriptura vlla, vel cum articulo fidei, corporis **CHRISTI** in cœna Dominica præsentiam: id *ἐκ περιστάσεως* pro maiori τῆ ἐν τῆ firmamento Lutherus probandum suscipit, idq; ex articulo de sessione **CHRISTI** ad dextram **DEI**. Cui instituto aliquot præmissis hypothesebus opus fuit.

I. Τῆ ὀρισμῶ. Dextra **DEI** non est locus aliquis, nec est in loco aliquid, vt somniant fanatici: sed est ipsa omnipotentia ac Maiestatis diuinæ gloria, quæ cum nulli loco insit, nuspam tamen excluditur, quippe rerum omnium non conditrix tantum, sed conseruatric etiam, ac proinde creaturis omnibus præsentissima, ita vt cum in minimo grano tota sit: tanta tamen eius sit maiestas, vt ne mille quidem mundi eam capere aut includere possint. Testimonia huic assertioni præbent *Esai. 66. 2.* Omnia hæc manus mea fecit. *Psal. 139. 7.* Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? *Acto. 5. 31.* **CHRISTVM DEVS** exaltauit dextera sua. *Act. 17. 27.* **DEVS** non longè est ab vno quoque nostrum. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. *Rom. 11. 36.* Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia, *Jerem. 23. 23.* Putásne, **DEVS** è vicino ego sum, dicit Dominus, & non **DEVS** à longè? *Esai 66. 1.* Cœlum sedes mea: terra autem scabellum pedum meorum.

Στοχασμὸς. Si ad hoc solummodò mysterium mentes suas Sacramentarij aduerterent, minus infidelitati suæ frena fortasse laxarent. Corporis ad corpus aliqua est proportio. Quæ est autem inter **DEVM** & creata corpora cognatio? Iam quòd ita **DEVS** in corpore quouis creato totus est præsentissimus, vt sit etiam supra atque extra creaturas omnes: quanto quæso maioris est miraculi & mysterij, quàm si corpus **CHRISTI** simul in pluribus locis esse credatur?

2. Secunda hypothesis est, Potentiam **DEI** ab eiusdem dextra atq; essentia non esse seiungendam. Igitur vbicumque **DEVS** est, totus est, indiuisus καὶ ἀμέριστος: tota in **CHRISTO** Deitas corporaliter in terris: tota in cœlis apud Patrem: tota in vtero Mariæ virginis: etiam ante conceptionem, quia

S E C U N D U S.

quia secundum interualla locorum est ἀκίνητος. Ergo dextra DEI ubiq; est in rebus omnibus, & essentia ipsa à diuinitate est inseparabilis. Iam aures arrigant Sacramentarij.

XIII.

Προσυλλογισμὸς Si dextra DEI & Deitas ipsa, ratione loci, nusquam separantur: sequitur, vt quicquid ad dextram DEI est, ratione loci à diuinitate nusquam sit diuiduum.

CHRISTVS secundum humanam naturam (cuius pars est corpus) sedet ad dextram DEI. Igitur ratione loci, ex parte humanæ naturæ nusquam à diuinitate est separabilis.

ὑποσυλλογισμὸς. Quicquid ratione loci à Diuinitate est inseparabile, id ubiq; sit necesse est.

Humana CHRISTI natura, & consequenter corpus eiusdem, est ab essentia diuinitatis, ratione loci, inseparabilis.

Igitur Humana CHRISTI natura, & consequenter corpus etiam est ubiq;.

Si breuius rem habere volunt, sic accipiant.

Quicquid ratione loci à dextra DEI est inseparabile, illud est ubiq;. Corpus CHRISTI, ratione loci, est à dextra DEI inseparabile. Igitur, &c.

XIIII.

Argumenti istius illustrationi sequentia θεολογήματα seruiunt.

1. CHRISTVS cum in Euangelio dicit, Omnia sibi à Patre data, vel omnia pedibus eius subiecta à sibi leguntur: his dictis nihil aliud, quàm articulus sessionis ad dextram DEI declaratur.

Ioan. 3. 35^{or}
Psal. 8.

2. Secundum diuinitatem CHRISTO nihil datum, aut subiectum est sub pedibus: quia hæc omnia creauit & conseruat. Igitur quicquid datum legitur, Humanitati datum est.

3. Sedere ad dextram DEI nihil aliud est, quàm regnare & potestatem atq; imperium exercere super omnia.

4. Si regnat Christus super omnia, utiq; præsens est creaturis omnibus, quia per dextram DEI regnat, quæ ubique est, præsentissima.

XV.

Huius argumenti tractationi, appendicis loco περίσματα & ὑποχρηήματα & obiectiones diuersi generis subnectuntur.

E. 3;

ὑποχρηήματα

L I B E R

πρῆσιμα est: Ex vi argumenti tractati effici, ut si verba ista, *Hoc est corpus meum*, à CHRISTO in Cœna maximè posita atq; usurpata nunquam fuissent corpus CHRISTI tamen, quemadmodum alijs omnibus in locis, ita in Cœna præsens esse, non sit impossibile: Idq; modo quidem inexplicabili: sed ut ut sit, non tamen physico, aut locali. Nam in hac re etiã, quid sit, dicere difficilius possumus: quàm quid non sit. Quod enim IN pane CHRISTI corpus esse cum Patribus dicimus: simplicitate candida Præsentiam Corporis Dominici in Cœna nos credere profiteamur. Qua concessa, *λογομαχίας* de verbis nemini movebimus.

XVI.

ἐπιχρῆσιμα 1. Considerandum erat fanaticis, DEO plures esse modos, quàm crassum illum physicum, quibus res in rebus esse idem efficit. Leui in lumbis Abraham fuisse dicitur. Obiecta visus in oculo esse perhibentur. Species oblatæ, sunt in speculo. Arbores & fruges insunt in seminibus. DEVS est in nostris cordibus: Et quis DEO plures esse modos alios adeoq; infinitos inficiabitur, quo efficiat, ut vna res alteri inesse prædicetur.

2. Nihilo minoris est miraculi, plura in vno & eodem esse loco, quàm si vnum sit in pluribus, vtrumq; eiusdem est omnipotentia. At Scriptura apertè testatur, CHRISTVM clausis foribus ingressum esse ad discipulos: prodijisse ex sepulchro etiam per obsignatum lapidem. Hic penetratio corporum facta à pio nemine negari potest.

3. Et quid apparitiones factæ non CHRISTI tantùm sed DEI Patris etiam, & Spiritus sancti aliud ostendunt, quàm & DEVM & CHRISTVM non procul abesse: sed esse præsentissimum, ut sola revelatione opus sit, quæ id sensibus etiam fieri potest manifestissimum.

4. Et quod CHRISTVS dicit, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit, Filius hominis, qui est in cœlo: an non corpus suum simul in cœlo, & in terra, imò verò iam tum in omnibus locis esse asserit? siquidem per glorificationem non alius Christus factus est: sed idem qui antea, præsens nimirum ubiq; & in omnibus locis permanfit.

Obie-

Actor. 7.
& 21.

Johan. 3.

Obiectio. 1. Obijciat fanaticus quispiam, Si ubiq; præfens est corpus CHRISTI: age, comedam illud in quavis caupona, aut popina, ex quouis catino. Responsio; At heus tu porce, præfens licet sit: abs te tamen minimè manducabitur. Quid ita: 1. dextra DEI est in omnibus locis: sic tamen est, vt sit etiam extra ea, id est, vt nuspiam includatur. 2. Differt præfentia DEI à tua apprehensione. 3. Aliud est, præfentem esse DEVM, aliud, Tibi esse præfentem. Vt præfens sit, absolutæ necessitatis est: vt tibi præfens sit, non nisi verbo ac promissione efficitur, quibus ceu vinculis constrictus, non præfens CHRISTVS, sed apprehendendus nobis sistitur.

2. At gloriæ istius Regis malè conuenit, inquit Oecolampadius, si corpus eius sit in terra, tracteturq; ad altare etiam ab impijs. Respond. Imò verò optimè. 1. quia sic confundit fanaticorum stulticiam. 2. Elucescit hinc immensa eius φιλανθρωπία, qui non tantum nobiscum, apud nos, supra nos, & in nobis esse dignatur: sed vesendum etiam corpus suum tradit, vt de salute nostra nos pignore isto reddat quàm certissimos. Quod si hoc cauillo eludi posset hoc mysterium, quid nobis in fide nostra Christiana mansurum esset tandem integrum: An humano iudicio, Filio DEI gloriosum fuit, nasci ex muliere? tentari à Satana? Num igitur facta ista esse negabuntur? Vah miseræ gloriæ, quam isti fanatici CHRISTO nostro conciliare satagunt, quasi maiorem ipse, quam in summa humilitate, pro salute nostra subita, gloriam esse positam existimet.

3. At pro miraculo id fuisse ab Apostolis habitum nuspiam legitur, quod fieri par fuisset, si ita res habet, vt Lutherus docet. Resp. An ergo miraculum CHRISTI nullum fuit, nisi quod ab Euangelistis tale nominatum fuit? Aut libertate sua per silentium frui hac in parte non fuit istis integrum?

4. Sed enim arduum quoq; est istud credere. Respon. Hic isti tanquam sorices suo pereunt iudicio.

5. At Apostoli in discubitu permanentes, Sacramentum istud non sunt venerati. Respond. Hoc officij fuit: & temporis illius: fuit denique conditionis etiam, in qua discipuli
const.

L I B E R

constituti fuerant: non tædij aut contemptus, quo fanatici erga escam illam sacram pleni, ex suo sensu discipulorum animos iudicant.

6. Miracula Christi oculis hominum fuerunt conspicua, Christi corpus in cœna oculis non visitur. Igitur nihil hîc miraculosum, nec Christi corpus præsens est. Resp. Maior particularis est, quam si καθόλου facere ausi fuerint, maxima quæq; fidei mysteria ex albo miraculorum expunxerint, Unionem personalem naturarum in Christo, conceptionem Christi in utero materno, sessionem ad dextram Dei, &c. Hactenus primi Achillei argumenti de sessione ad dextram Dei refutatio. Stat ergo firmum adhuc τὸ ἑπὶ τὸν κυριακόν.

XVIII.

Alterum quod ferreo muro comparat Oecolampadius, ex dicto Ioannis 6. sumitur. Caro non prodest, Igitur corpus Christi non est in cœna.

1. εἰσῆσις. Quæritur, an caro hîc de corpore CHRISTI intelligenda sit.

2. ἀπόφασις. Nam quoties de sua carne CHRISTVS loquitur notam pronominis expressè addit. Quod in hoc dicto non est factum.

3. ἑγκλημα. Quia verò ingens est differentia inter carnem absolutè dictam, & carnem CHRISTI, quæ est hæc audacia, ex carne ἀπλῶς, CHRISTI carnem facere?

4. ἀτοπον. Quod si hoc illis permittamus, quid obstabit, quo minus semper caro absolutè dicta in Scripturis, de Dominica intelligatur: & quia carni fœda atq; atrocis istic multa tribuuntur: tandem cum Valentino & Manichæis ne veram quidem carnem ac sanguinem humanæ naturæ à CHRISTO assumpta esse garranus? Cuius farinae illud iam in Cinglio esse videtur, quod Badæ aduersus Eccium sic scribit: Si CHRISTI caro manducatur, in carnem eam conuerti necesse est: quicquid ex carne natum est, caro est. Increpet te Dominus, Satan.

5. ἐκ τῆ ἀσυλλογίστου ἀδωάτου. Sed esto, Valeat hæc argutatio CHRISTI caro no prodest, Ergo non adest: quæ portenta errorum hinc pollulabunt? Sequitur enim ne ex Maria quidem

S E C V N D V S.

quidem eam natam esse, non in præsepi recubuisse, non à Si-
meone vlnis exceptam fuisse: non assedisse discipulis in vltima
cœna, non ad dextram Dei sedere, imo ne quidem spirituali-
ter esse in ipsis Sacramentarijs, quod ego in leuissimo tamen er-
rore duxerim.

XIX.

Dicent isti, Non absolute de carne Christi acceptum vo-
lumus quod non probit, sed tantum de manducata corporali-
ter. Spiritualiter enim manducata, hoc est, si pro nobis in
mortem credatur tradita, profuerit plurimum, secundum il-
lud Ioan. 6. Caro mea vere cibus est. Responso est. 1. Quo-
modo hoc ex verbis istis elicient? Caro non prodest. Igitur
Christi caro corporaliter manducata non prodest.

2. Cur corporaliter manducata non prosit, cum hoc mo-
do concepta, nata, in præsepi reclinata, vlnis suscepta, e cru-
ce suspensa &c profuerit? Qui modi omnes corporales itidem
fuerunt.

3. Quid si verò carnem Christi in Cœna manducem corpo-
raliter, sic tamen, vt simul etiam spiritualiter eadem vescar? an
tum etiam non profuerit illa? non arbitror. Quomodo enim
corporalis manducatio tum non prosit, si accedat spiritualis?
Eius verò manducationis hæc erit ratio. Corpus Christi cum
pane manduco corporaliter: Interim corde firmiter credo,
illud esse corpus pro me traditum ad remissionem peccato-
rum. Sic expedita fuerit vtraq; manducatio.

4. Neq; verò aliter à nobis vnquam scriptum doctumue
fuit de isto negotio: sic semper geminam in Sacramento isto
manducationem esse ostendimus. Vna, eaq; optima & maxi-
me necessaria est, quam nobis verba ostendunt. Hoc est cor-
pus meum pro vobis traditum. Verba ista non ad fauces
aut ventrem pertinent: sed ad aures atq; fidem. Corde igitur
percipitur, quod verbis istis promittitur, nempe corpus
pro nobis esse traditum. Quæ est spiritualis illa manducatio.
Altera corporalis est, seu sacramentalis, qua cum pane cor-
pus Christi manducatur. 1. Igitur distinguimus probè istas
manducationes. 2. Corporalem sine spirituali prodesse *dicendum*
negamus. 3. Imo illam sine hac perniciosam etiam esse asseri-

F

mus.

L I B E R

mus. Verum hinc, corpus CHRISTI à Cœna abesse, non sequitur. Contrarium potius hinc efficitur. Si enim corpus CHRISTI non adesset, corporaliter sumptum non obesset. Multo minus sequitur, verba ista, Caro non prodest, ad negotium cœnæ Dominicæ pertinere. Firmum ergo etiamnum stat τὸ ἐν τῷ CHRISTI in cœna Dominica, nec ab ariete Oecolampadij ferreo vel minimum conquassatum est

XX.

Quia verò de spiritali manducatione subinde blaterant isti, & de spiritu & spiritali perpetuus ipsis est Coccysmus: operæ pretium fuerit, hanc etiam materiam in transitu excutere.

1. Spiritaliter edere, bibere, vel aliud quid facere dicimur, non cum id, quod editur, bibitur, vel tractatur, Spiritus est: sic enim corpus CHRISTI nunquam spiritaliter manducari posset: siquidem corpus semper manet: in spiritum autem nunquam transit.

2. Sed spiritaliter dicitur fieri, quia à Spiritu actus iste proficiscitur, & modus eius est spiritalis, hoc est, spiritalis appellationem non ab obiecto, quod non est semper spiritalis, sed ab usu duntaxat sortitur.

3. Exemplis res fit manifestior. Maria CHRISTVM concipiens, verum hominem concepit: sed concepit CHRISTVM etiam spiritaliter. Nam verbis Angeli fidem habens, fide illa CHRISTVM spiritaliter in pectore concepit, quem eodem statim momento concepit etiam corporaliter. Imò hæc conceptio neq; locum habere prius, quàm spiritalis illa perfecta esset: neq; sine hac quicquam illi prodesse potuit. Hic & fœtus, & conceptio eius vna corporalis fuit; sed hoc non obstat, quo minus altera etiam spiritalis eiusdem conceptio locum habuerit. Similia exempla sunt in visione ea, qua CHRISTVS infans pastoribus & Simeoni visus fuit. Sic geminus etiam simbriæ CHRISTI tactus fuit, qui ab hæmorrhousa factus est. Non dissimiliter fide Abraham terram promissam occupavit spiritaliter, quam pedibus calcatam ne ad lati quidem pedis vestigium possidebat.

Summa,

L I B E R

carnaliter sentiunt : ita spirituales appellantur, non qui in spiritum toti abierunt : sed qui spiritualiter affecti sunt. Rom. 8. 5. Sic opera piorum. Gal. 5. 22. fructus Spiritus : & tota Christianorum conuersatio. 1. Cor. 2: 13. spiritualis appellatur.

XXI.

Loco Euangelico ab immundicie fanatica liberato, genuinam explicationem etiam addimus. Ad quam tali syllogismo viam sternimus.

1. Vbicunq; Caro & Spiritus sibi opponuntur in Scriptura. Carnis vocabulum de carne Christi impossibile est intelligi. Ioannis 6. Carnis & Spiritus fit manifesta oppositio. Igitur, &c.

2. Maioris probatio. 1. *ἀνεκδέχεται*. Contrariè enim opposita sunt, quae se mutuò expellunt. At carni CHRISTI cum spiritu ita conuenit, vt in ea corporaliter plenitudo Spiritus habitet, & spiritus exinde in omnes dimanet. 2. *ἡ ζωὴ*. Genes. 6. 3. Non disceptabit Spiritus meus cum homine aeternum, quia caro est. Esa. 40. 6. Omnis caro fenum. Spiritus Domini sufflauit in eo Ioan. 3. 6. Quod natum est ex carne, caro est : & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Rom. cap. 8. per totum. Gal. 5. 17. Spiritus & caro sibi inuicem aduersantur.

3. Minor patet ex textu bifariam. 1. *κατὰ τὸ ἐντὸν*, Spiritus est qui viuificat : caro non prodest. 2. *τῆ διαβολῆς*. Quid enim viuificationem Spiritus appellet, sequentibus verbis expressum habetur. Verba mea Spiritus & vita sunt. Hoc ergo adiuncto, Spiritum aduersus carnem contra distinguens, Spiritum & vitam à carne seiungit, hoc est, prodesse carnem negat. Prodesse enim quod spiritu & vita caret, nequit, si materiam praesentem consideres. Atqui istud de carne CHRISTI nemo, nisi perditissimus haereticus, dixerit.

4. *ἰπιφορεῖ*. Quod si de ea carne sermo est, in qua Spiritus & vita non est, ac proinde minimè CHRISTI caro est : sed caro, in qua nil nisi mors & peccatum est : haud errauerimus, si carnem pro carnali intellectu positam dixerimus : sic carnem pro homine non regenerato, vel ea certè parte, in qua regeneratio non obtinet, accipientes, vbi primum est
intelle-

S E C V N D V S.

intellectus. Ut non huius vim approbare: sed Spiritus ac regenerationis ductum requirere CHRISTVS velle omnino videatur.

5. τὸ ἐναντίον. Quæ est ergo bruta Cinglij insania, qua sic sententiam Ecclesiæ nostræ impugnat?

Quicquid ex carne natum est, caro est. Ioan. 3. quod si caro CHRISTI manducatur in cœna, in carnem mutetur necesse est. 1. Quis nexus consequentiæ, à natiuitate carnis ad eiusdem manducationem? 2. Quæ hæc est dira blasphemia, Qui comedat carnem CHRISTI, eum carnem seu carnalem fieri? 3. Quid ni concludit etiam, quæ panem comedat, in panem itidem transmutari? 4. An verò tolerari hæc potest blasphemia, quod CHRISTI carnem ad locum istum referunt, Quicquid ex carne natum est, caro est? Quin nos ad alterum potius locum eam pertinere sentimus, quo dicitur, Quicquid ex Spiritu natum est, spiritus est. Nam CHRISTI caro non ex carne nata: sed ex Spiritu sancto concepta est. 5. Quod si ita est, vt caro CHRISTI peculiaris, & reuera spiritualis caro sit: corruptioni eam obnoxiam esse impossibile est. Cibas naturalis in corpus & sanguinem vescentis transmutatur. Esca hæc spiritualis non mutatur in vescentem; sed hunc in se transmutat. Siue igitur corporaliter siue spiritualiter Christi caro manducetur: cibus est incorruptibilis, nec ipse in carnem: sed caro potius ex ipso in spiritum commutatur.

Matth. 10
Luca 10

XXII.

Iam ad Patrum autoritates spectandas nos conuertemus: Non quasi fides nostra nitatur isto fundamento, quod in solo Dei verbo positum habemus: sed vt pateat candor Sacramentarij. Augustinum totum à suis partibus stare dicunt Sacramentarij, quia frequens est apud ipsum in hac materia, Mysterij, Signi, Figuræ, Inuisibilis, Intelligibilis, & similium vsus.

Esto, Augustinum pani tribuere, quod sit figura, aut Sacramentum corporis Christi. Num ideo figura aut signum absens, ac non potius inuisibilis, aut inuisibiliter præsentis corporis erit.

F 9

Loquæ

L I B E R

Loquatur pro se ipse Augustinus, Sacramentum inuisibilis gratiæ, visibilis forma est. Non absentis, sed inuisibilis, nihilominus præsentis rei formam esse Sacramentum asserit. Inuisibile enim est, cuius essentia præsens, actui tantum visionis non subiacet. Adeo ergo nobis non aduersatur Augustinus, ut patrocinetur maximè.

Epist. 118.
ad Ianua.

Quid verò illi Augustini loco dicent, qui alibi extat? Liquidò apparet, quando primùm acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Ex hoc placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. En tibi non figuram corporis, sed corpus: en tibi os etiam, non animam, in quod corpus Dominicum intrat. Accedat tertius etiam eiusdem Patris locus: Ferebatur CHRISTVS in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis.

In Psal. 33

Lib. 4. ad
uer. Mar-
cion.

XXIII.

Tertulliani locus est, CHRISTVS acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo, id est figura corporis. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate: ergo panem debuit tradere pro nobis. Hactenus iste Pater.

In præsentis loco planum est, quod dicit Pater, CHRISTVM panem acceptum fecisse corpus suum, dicendo, Hoc est corpus meum.

At sequitur, id est, figura corporis. Respond. 1. Figuræ vocabulum ambiguum est: quandoq; umbram, imaginem, typum significat, sicut res gestæ veteris testamenti, figuræ appellantur noui. Hæc impropria est significatio. Propriè formam mathematicam, quæ suis constat dimensionibus significat. Quo significato nos vocabulo speciei in Sacramento utimur.

2. Tertulliano autem res est contra Marcionem, CHRISTO pro vero & naturali corpore, phantasma tantum, ac simula:

S E C U N D U S.

mulachrum corporis affingentem. Concludit ergo ex visibilis speciei figura, ad veritatem corporis CHRISTI. Si enim corpus CHRISTI phantasma fuisset, visibili figura ac specie representari non potuisset. Quis hinc absentiam corporis domini à cœna somniasse Tertullianum existimabit, cum ex Cœna veritatis eius demonstrandæ argumentum petat?

3. Altera hæc est Tertulliani ratiocinatio: CHRISTVS dicit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Si verum corpus non habet CHRISTVS: sequitur panem pro nobis esse traditum: quia phantasma tradi pro nobis non potuit. Hinc iterum apparet, Tertullianum statuere corporis Domini pro nobis traditi in pane præsentiam, ne panis pro nobis traditus esse dicendus sit.

4. Constat igitur, Patrem istum figuram appellare, quod corpus CHRISTI iunctum sibi atq; vnitum habet.

Similia Tertulliani loca in lib. contra Iudæos, & lib. 3. contra Marcionem extant: CHRISTVS dedit panem corporis sui figuram.

5. ἐν ποσθίκῃς μέρῃ habeant Sacramentarij eum locum, qui in libro de Resurrectione carnis legitur in hunc modum: Caro nostra corpore & sanguine Domini cibatur, vt & anima de Deo saginetur. Quomodo enim huius loci perspicuitatem eludent?

XXIV.

Irenæi illustris est iste locus. Quemadmodum qui è terra panis est, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est: sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

Notandum primò, quid vocationem Dei appellet Irenæus. Oecolampadius hoc nomine benedictionem & gratiarum actionem nostram intelligi inquit. At quàm absurde? Nos Vocationem Dei referimus ad verba CHRISTI, quibus dixit, hoc est corpus meum. Atqui Paulus scribit, Deum vocare ea, quæ non sunt, vt sint. Hoc vocandi modo Moses à Deo omnia in principio creata esse testatur. Sicut ergo in creatione dixit, Fiat lux, & facta est, vt vocatione Dei ceperit esse,

Lib. 4. ad
uers. hær.
cap. 34.

Rom. 4.

L I B E R

esse quod non erat: Ita cum pani vocationem in Cœna Christi imponit, Hoc est, inquit, corpus meum: quin id factum sit, nullatenus ambigendum est.

2. Vocatione Dei fieri inquit Irenæus, ut panis è terra, non iam sit communis panis: sed Eucharistia, duabus rebus constans, terrena & cœlesti. Quid res terrena sit in Eucharistia, extra controuersiam est. Cœlestis quæ sit, id vero est, quod ambigitur. Oecolampadio terrena res & cœlestis, res est eadem, panis scilicet: $\sigma\chi\acute{\epsilon}\sigma\delta$ tantum & relatione diuersum fieri comminiscitur. Nam quatenus è terra est, terrenæ rei nomen illi competere inquit: quatenus autem benedicitur cum gratiarum actione, idem panis illi cœlestis res esse dicitur. Sic quis in qualibet mensa vulgari positus cibus vel panis, addita gratiarum actione spiritualis res, & Sacramentum foret. Atqui panis vulgaris manet panis vulgaris, etiam Apostolorum, adeoq; ipsius CHRISTI benedictione consecratus extra Eucharistiam, sicut Ioan. 6. in miraculosa cibatione populi cernitur. Loquitur autem res ipsa, rem cœlestem, nisi de corpore CHRISTI, intelligi neuiquam posse.

1. Quicquid immortalitatem conferre non potest, id res cœlestis esse in Eucharistia nequit.

Pani quantumuis & à quocunq; benedictio non competit, quod immortalitatem conferat: Semper enim est, & manet esca corruptibilis.

Ergo panis benedictus res cœlestis esse nequit.

2. Si notæ ab Irenæo rei cœlesti assignatæ, præter corpus CHRISTI, nulli alij rei competunt: consequens est, ut res cœlestis, nisi de corpore CHRISTI, intelligi non debeat.

At præter corpus CHRISTI nulli rei competunt. Igitur, &c.

Sunt autem notæ istæ huiusmodi. 1. Tribuit rei cœlesti, quod corporaliter manducetur. Dicit enim corpora nostra percipere Eucharistiam: quam non vna, sed gemina re constare iam testatus est, terrena & cœlesti. Igitur corporali manducationi res etiam cœlestis subiacet.

2. Quod res cœlestis, corporaliter licet percepta, vim tamen

S E C U N D U S.

men habeat conferendæ immortalitatis. At in rerum natura nihil est, præter corpus **C H R I S T I**, cui gemina ista nota competat. Quod ita planum est, vt probatione non indigeat.

Similia Irenæi loca sunt & hæc: Quomodo dicunt carnem non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? Item. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis, percipiens verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis **C H R I S T I**, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia: quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ sanguine & corpore **C H R I S T I** nutritur? Quid in his torquebunt Sacramentarij?

Eodem
lib. & cap.
Lib. 5.

XXV.

Loquatur etiam Hilarius. Si verè carnem corporis nostri **C H R I S T V S** assumpsit, nosq; verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus: quomodo voluntatis vnitas asseritur, cum naturalis per Sacramentum proprietates perfectæ Sacramentum sit vnitatis?

De Trin.
l. 8.

Idem paulò pòst: De naturali in nobis **C H R I S T I** veritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus: stultè atq; impiè dicimus. Ipse enim ait, Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus &c. De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus.

Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè est caro & vere sanguis est. Et hæc accepta atq; hausta id efficiunt, vt & nos in **C H R I S T O**, & **C H R I S T V S** in nobis sit.

Sententia Hilarij habet. Quod quemadmodum **C H R I S T O** secundum diuinitatem cum Patre non voluntatum tantum intercedat coniunctio: sed naturæ atq; essentiæ ipsius vera vnitas: sic non spiritu tantum nos cum **C H R I S T O** coalescere: sed nobis in Sacramento per corporis & sanguinis sui participationem **C H R I S T V M** naturaliter etiam coniungi.

2. Carne **C H R I S T I** non participare asserit.
3. Non spirituaalem tantum, sed naturalem etiam nobis cum **C H R I S T O** per Sacramentum carnis communicatæ, coniunctionem intercedere statuit.
4. Hæc, inquit, accepta atq; hausta efficiunt, vt **C H R I S T V S**

G

STVS

CHRISTVS in nobis sit: non dicit, Hac credita & intellecta spiritualiter.

Heus vos Sacramentarij hic Rhodas, hic saltus est.

XXVI.

Ad Cor.
nclium.

Audiamus etiam Cyprianum: Quos excitamus & hortamur ad praelium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis CHRISTI muniamus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis sanguinem Christi denegamus?

Serm. de
lapse.

Idem alibi: A diaboli aris reuertentes, ad sanctum Domini, sordidis & infectis nidore manibus ascendunt. Mortiferos idolorum cibos penè adhuc eructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & funesta contagia redolentibus, Domini corpus inuadunt. Spretis omnibus, quæ Apostolus scribit 1. Cor. 10. & 11. ante offensam placatam indignantis Domini & minantis, vis infertur corpori eius & sanguini, & plus modò in Deum manibus atq; ore delinquent, quam cum Dominum negauerunt.

XXVII.

In Psa. 98.

Quod ex Augustino allegant: Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibiteri sanguinem illum, quem fusuri sunt, qui me crucifigunt. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum viuificabit vos. Item.

In Ioan. 6.

Quid dentes & ventrem paras? Crede & manducaſti: his locis causam suam non meliorem reddunt. Verba enim ostendunt, hæc contra Capernaitas scribi, qui ventris tantum & dentium opus hic quærebant, aut, vt Augustinus paulò antè loquitur, carnaliter cogitarunt & putauerunt, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de suo corpore, & daturus illis. Et quia aliud corpus & alium sanguinem CHRISTVS non habet, quam quod traditum est, quiq; fusus est, nisi absurdissimi esse voluerint, verba Augustini non rigidius vrgebunt.

XXVIII.

Fons erroris Sacramentarij hic est, quod carnem Christi, à carne vulgari & corruptibili non discernunt. Atqui inuentum discrimen est. Hæc caro, de qua agimus, corruptio-

S E C V N D V S.

ni non subiacet. Psal. 16. Hæc caro ipsi morti mortem intulit. In hac carne Deus est; & hæc caro, Dei propria caro est: atq; ipsa est in Deo. Hinc fit, vt sit viuificans caro, quæ & corpori & animæ vescentium vitam conferre potest. Sacramentarij horum nihil pensi habent. Hinc CHRISTI carnem pro inutili reputant. Mirum verò, cum panis & vinum apud ipsos profint, nec impediunt commemorationem mortis Dominicæ: corpus & sanguinem CHRISTI tantundem non prodesse, quin in istis etiam commemoratio ista locum habeat. Mirum deinde est & alterum, cum ex ipsorum Logica sequatur CHRISTI caro non prodest. Igitur in cœna non adest: non sequi ex eadem Logica hoc etiam, panis & vinum non profunt. Igitur in cœna non adsunt.

XXIX.

Quod si stat sententia Sacramentarijs, sic pergere, breui compendio totam causam suam expedire queant. Expungant ex verbis institutionis verba hæc, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, & ex scholijs marginalibus in textum irrepisse inquam. Audendum enim est aliquid: Et res tota in vado erit. Nam quæ ipsorum est sententia, quæq; huius mysterij apud ipsos celebratio est, verbis istis prorsus nihil opus est. Sacramentariæ enim Cœnæ aut Cinglianæ plena hæc est descriptio, CHRISTVS accepit panem, gratijs actis fregit, deditq; discipulis suis & dixit, Accipite, edite, facite hoc in mei recordationem. Quid tandem facturi sint, nondum constat. Quod autem in corde suo nihil malint, quàm erasa, antiquata, exterminata esse verba ista CHRISTI, Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur: hoc tam est certum, quàm quod certissimum.

XXX.

Huc tendit Oecolampadij *φλυαρολογία*: Non prodest, Corpus CHRISTI esse in pane Dominico. Igitur non adest. Quorsum prodest? inquit ille spermologus.

1. Quid audio? si nos diuinorum dictorum rationes non intelligimus, num statim falsitatis illa infimulabimus?
2. Pietatis est, primum ad dicta Dei attendere. Si surgit cogitatio ista in pectore, Quorsum prodest hoc? licentiæ

G 2 isti

L I B E R

isti frenum iniicere, cæcitatæ humanæ, præsertim in diuinis rebus iudicandi ex ratione, memorem esse, & pia simplicitate in sapientia atq; omnipotentia Dei recumbere.

3. Quibus Ecclesijs Sacramentarij Ministri præsent, illæ etiam atq; etiam videant, & vel hinc iudicium faciant, quales pastores habeant, profectò pietate, vera fide & timore Dei vacuos, & non nisi lauratos diaboli nuntios.

4. Abrahamo diuinitus mandata fuerat filij sui mactatio & immolatio. Si Sacramentaria ista syllogistica vti voluisset, Quorsum hoc profuerit? qua benedictione fuisset potiturus?

5. Euam Sacramentarium hoc artificium exitio dedit; Vocabat illa itidem in dubium expressum Dei mandatum: suggererat ipsi idolum Sacramentarium has quæstiones, Quorsum profuerit, Cur necesse sit abstinere vetitò poma? At heu infelix artificium: quod abesse à pijs etiam atq; etiam vult Apostolus.

2. Cor. 11.
3.

6. Esto iam verò, fieri potuisse, quod non potuit, vt CHRISTVS nobis carnem suam visibiliter & carnaliter vescendam propinasset, eo modo, quo id futurum Capernaïtæ persuasum habebant: an propterea à pijs dubitari queat, num illa caro nobis prodesse possit? Minime gentium. Cum enim plena sit caro illa diuinitate, vita, beatitudine, bonisq; omnibus: ne mica quidem eius participare fidelis quispiam queat, quin commoda exinde maxima sentiat.

7. Quanto magis blasphemum, & non nisi ex rictu Sathanæ profectum est, si à pijs in Sacramento manducata illa caro, non prodesse affirmetur?

8. At si nosse cupis, quorsum profit, sic habe. I. Vt ratio humana, & tota turba fanatica confundatur hoc mysterio, impingat & collabatur, si aduersus mysteria CHRISTI insolcat. Positus est enim etiam in ruinam CHRISTVS, teste Simone. Sacramentarij sanè quia nil nisi panem & vinum in Cœna esse statuunt, secundum fidem suam accipiunt, & corpore Domini neq; corporaliter, neq; spiritualiter vescuntur. Hic vsus est vnus, & sanè magnus.

2. Iam ex Irenæo dictum est, corpora nostra CHRISTI corpore faginata incorruptibilia fieri, & spem resurrectionis indubitata concipere.

Accedit.

S E C V N D V S.

9. Accedit tertius vsus vel maximus. Verbo **CHRISTE** dicitur, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum. Si verbum Dei potentia est ad salutem Rom. 1. & nunquam redit, quin fructificet: Esai. 55. quomodo non proficit corpus **CHRISTI** in cœna, quod Verbo Dei quàm maximè coniunctum est. Bona caro non posset non proficere, cui Deus Verbum suum adiuncturus esset. Quid ergo non præstet **CHRISTI** caro commodi, ipso Dei verbo nobis destinata;

9. Quod si extra verbum istud caro **CHRISTI** spectetur, Carni isti verbum *ἐστὶν ἡ ζωὴ αἰῶνος* semper est coniunctum Ioan. 1. An ne sic quidem caro illa profuerit? Equidem dum in terris ambularet, adeo profuit, vt tacta solum morbos quousvis pelleret. Dent illi nobis hoc, antiquitate carnem istam non vilescere.

10. Prodest nobis peccatum, prodest mors, profunt omnia infortunia, prodest ipse etiam diabolus, quando volente iubenteq; verbo Dei cum istis res est habenda fidelibus. Et tu rogas Sacramentarie, Quid profit caro viuificans Seruatoris nostri?

XXXI.

At præstigias sibi faciunt, & glaucoma offundunt sua spiritualitate. Verbo Dei nil nisi spiritualia tractari persuasum habent, externa & corporalia omnia istinc exterminant. Hæ Carolstadij & Munzeri sunt reliquæ: sic bellum indicere rebus externis, vt de spiritu vero tandem nil remaneat. Diuerso nobiscum modo agit Dominus, vix vnquam ita nobis spiritualia præcipiens, quin externarum rerum materiam spiritualibus adijciat. Dilectionem ab Abrahamo requisivit Dominus; sed filij immolationem eidem certo consilio imposuit. Obedientiam ab Rege Saule flagitavit Dominus: sed cæde Amelechitarum interim minime abstinere voluit. Securitatem à diluio generi humano Deus est pollicitus sub Noacho: at Iridem tamen in natura rerum promissioni iunctam voluit. Sic in Cœna spirituali gratiæ corporalem escam suæ carnis adiungere **CHRISTO** etiam placuit.

G,

Sin

L I B E R

2. Sin ita à carne C H R I S T I abhorrent, quia est corporeum & externum aliquid: etiam à sua spiritali manducatione eandem excludant necesse erit. Corpus enim C H R I S T I, quomodocunq; manducatum, corpus tamen est carnem & ossa habens, non spiritus. Luc. 24. Nisi verò carnem animæ instrumento comedere melius esse docuerint, quàm eadem ore vesci. Quin imò si ore manducata non prodest, quomodo manducata animo profuerit, cum utrobique eadem caro sit?

X X X I I.

At quorsum necessum sit, quærunt isti, Corpus C H R I S T I in cœna esse, cum ex verbo Euangelij sine corpore fides confirmari posset? Resp.

1. O effrenem petulantiam: quasi si facti diuini ratio nobis non constet, ea iusta ratio sit, cur dictis D E I refragemur.

2. παραδείγματα 1. Sic Munzerus dixit, se ne flocci quidem facturum esse C H R I S T V M & Scripturam sacram, si ad sui Spiritus ductum se non sit illa accommodatura. 2. Sic Cinglius, cum obiectum ipsi fuisset, nos inuisibiliter, imperscrutabili modo corpus C H R I S T I in cœna manducare, falsè C H R I S T V M ridere cepit, Egregiam verò lucem, inquit, quæ non tantùm luminis nobis præbeat, ut intelligere queamus, quomodo corpus eius in pane manducetur.

3. τὸ ἀμήχανον καὶ ἄτοπον. Motus in corpore nostro, sensuum præcipuè, rationes exploratas non habemus: & mysterij istius sublimitatem inuestigare alicui allubescat?

4. λύσις. Necessitas prima dogmatis nostri hæc est, ut verax sit Christus. Dixit ille, hoc est corpus meum. Absit igitur ut diuersum verum sit. 2. Necessarium id etiam est ratione fidei nostræ. Credere enim nos Verbo Dei necesse est. Dixit Christus, Hoc est corpus meum. Igitur nisi infideles esse volumus, fieri nequit, quin esse illud, credamus necessariò. 3. Ratione salutis nostræ. Hanc enim nobis sigillo corporis sui confirmavit.

5. ἀτυποφορέα. Atqui citra illam corporis manducationem de salute nostra certi reddi possemus. Esto ita: Hanc tamen rationem

S E C V N D V S

rationem Deo non itidem placuisse, non est consequens. Num vero factorum modus Deo præscribendus est? Deus replere mundum gratia sua quodammodo voluit, & varijs medijs statutus placuit ipsi, salutis nostræ negotium promouere. Facessat curiosa ratio, quæ sibi in Deum iudicium sumere non erubescit.

XXXIII.

Non est silentio prætereundum deniq; , quod ex Eucharistia Symbolum & tesseram Sacramentarij faciunt, qua Christiani in mundo agnoscendi sint. Macte virtute pueri. Sic itur ad astra.

Sed nec immeritò ita sentiunt. Quia enim verbo Dei actionem istam spoliantes, præter elementa panis & vini in Cœna nihil relinquunt: quid nisi sociale epulum sit, quod isti in templis suis celebrant? Olim Encæniorum is usus esse perhibebatur, vt boni amici istorum Encæniorum epulis sibi inuicem innotescerent. Ecce nobis ex liturgia Sacramentariorum tale etiam in cœna epulum?

Verum nos hanc non Christianorum, sed ipsius Domini Cœnam esse nouimus atq; credimus.

Et Christus non dixit, Facite hoc in mutuam agnitionem; sed in meam commemorationem.

Quod si corpus Christi & sanguis eius nobis in Cœna propinantur, vt est sanè id certissimum: non cum hominibus sed cum Deo nobis in Cœnæ usu rem esse, per se manifestum fiet.

XXIV.

Sacramentarium errorem nonnullis etiam in Papatu arridere fama est. Qui enim in Cœna nihil præter panem & vinum esse audiunt, hac ratione sibi impunè Missaticum sacrificium conseruaturi videntur, quia nil nisi panem & vinum tractando, quod non sit magnopere piaculare, quæstum suarum præbendarum sine iactura deinceps etiam exercituri sint.

Si hoc sit ita, digni isti forent iudicio eo, de quo Apostolus, Mittet illis Deus efficaciam erroris, vt credant mendacio. Item Christus, Ego veni in nomine Patris mei, & non recipitis me. Si venerit alius in suo nomine, ipsum recipitis.

Et quid i

Ioan. 3. 4. Et quid? si Missa eo ipso fulcro euertatur, quo illi eam firmare satagunt, & sic Missæ cum Euangelio iacturam isti faciant: neq; animæ fidem, neq; ventri redditus paraturi: Id quod ex atheismo vulgi, si inualuerit per istum Sacramentarium errorem, oppidò futurum est.

XXXV.

Canendum est receptui. Sacramentariorum cerebris de Cœna & inter se ipsis non conuenit: & ex Scriptoris in speciem etiam ad patrocinium suæ causæ nihil suppetit. Ergo meritò victrici voce triumphantes, cum Luthero dicimus, Firmum stat τὸ ἔντονον Christi, Hoc est corpus meum.

2. Murus ille ferreus, de præsentia corporis Dominici in Cœna pugnante cum articulo Ascensionis in cœlum, adeò facthiscit, vt non tantùm causam Sacramentariam non tutetur: sed ruptus etiam & collapsus, totum agmen causæ Cinglianæ opprimat & prosternat. Igitur læti ouamus meritò; Stat enim adhuc inconcussa turris promissi Dominici, Hoc est corpus meum.

3. Dictum Christi, Ioan. 6. Caro non prodest, cum præsentia corporis Christi in cœna, ita nihil habet commune, vt non cœlum magis à terra spacijs dissideat: imò hoc dicto huc ascito, Sacramentarij hostes impietatem suam & in Christum iram profanam, sine viribus tamen, abunde produnt: Igitur nos tibi Christe iure gratulamur, cuius ἔντονον de Eucharistia, firmissime adhuc obtinet.

4. Patres orthodoxi non pedibus tantùm, sed mente etiam atq; ore, facta à Sacramentarijs discessione, in sententiam Christi, de præsentia corporis Dominici in Cœna, abeunt. Ergo ne hætenus quidem verborum Christi robur vlla parte conuulsum est.

5. Rationi humanæ cum mysterio præsentis in cœna corporis Christi pessimè conuenit. Ea autem omni iure iampridem in hoc negotio exautorata est. Stat ergo adhuc inuicta promissi in cœna corporis Dominici veritas.

Transiliamus etiam parumper in hostilia castra. Bucerus Buchenhagij psalterio in Latinum sermonem translato insidiosè venenum Sacramentarij erroris asperlit. Simili artificio
Postillæ

S E C V N D V S

Postillæ Lutheri, Præfatione & Scholijs suis adornatæ, idem Bucerus fermentum Sacramentarium immiscuit, & sub Lutheri nomine vendidit, vt quod suis scriptis aperte non possunt, vel anonymis, vel supposititijs, vel deprauatis aliorum scriptis insidiosè efficiant. Idem Bucerus Philippum etiam Melanthonem suæ sententiæ olim fuisse approbatorem non veretur affirmare, vt quod ex veritate non possunt, saltem ex autoritate hominum, suæ causæ patrocinium fucatè parent. Ergo nihil est in ipsorum causa certi, nihil firmi: sed fucato artificio, & malæ fidei speciminibus, causæ suæ falsitatem ipsi produnt. Stat ergo adhuc firmum, quod in cœnæ institutione CHRISTI dixit, Hoc est corpus meum. Hic istos sui testamenti falsatores aut conuertat: aut si conuerti nolunt, in sua sententia & scriptis magis magisq; confundat. A M E N.

Τὰ προσωπικὰ καὶ ἡθρολογικὰ.

Caput I. Mores Sacramentariorum

1. Isto hominum genere nihil est iactabundius, nihil gloriofius. Iactitant autem subinde suam humilitatem, sanctimoniam, patientiam, modestiam, diuicias Spiritus, Martyria & similia. At quàm verè iactitent, probe notandum est. Verbulo vno immitius istos excipias, toruum saltem aspicias, vel laudes ipsorum non plenis buccis deprædices: iam illi contumelias se indignissimas passos esse quiritantur: imò martyrum coronis dignos statim esse glorientur. In tanta verò sua patientia, querulandi finem nunquam faciunt. Vix verba reperias, quibus commode satis ipsos compelles, quin indignæ tractationis & lamentorum querulorum materiam inde protinus eliciant. Interim præ nimia mansuetudine nihil est conuictij, quod non in aduersantes sibi ore dicacissimo conijciant: absit verò vt rancori cuiquam, aut impatientiæ: sed meræ patientiæ & angelicæ mansuetudini tribuendum. Scilicet.

2. In scriptis suis trepidationem animi sui mirè produnt.

H

Iam

L I B E R

Iam gloriantur, iam queritantur, iam pacem flagitant, iam erudiri postulant, iam offendicula metuunt, iam gloriam CHRISTI sese querere profitentur, & nescio quas nantias ita subinde eructant, ut rem ipsam rarissime ac paucis tantum attingant. Quod si in ea versari illos aliquando cogit necessitas, ita suspenso gressu incedunt, quasi ovis litratum pavimentum pedibus terant: tum vno saltu ocyus transiliunt, hoc est, ita trepidanter Verba CHRISTI tractant, quasi in singulis literis præcipitium metuant. Sic superata difficultate, ubi sudorem paululum absterferunt, pro veritatis reuelatione Deo gratias agentes, in declamationem de spiritali manducatione corporis CHRISTI (de qua inter nos non controvertitur) dilabuntur. Sanè hic non est modus, quo pacata mens in tractando Verbo Dei utitur. Hæc citra ambages ingenuè, quod res est, eloquitur.

Vulgaris est Sacramentariorum mos in explicandis Scripturis & allegandis testimonijs, ut argumententur à possibili ad necessarium. At nulla est huius in probando modi vis aut firmitas.

Hoc sibi sedulo propositum habent Sacramentarij, ut Scripturæ S. ac Patrum Orthodoxorum dictis, si aliud non possunt, saltem nebulas obijciant, & apud vulgus imperitum in dubium ea reuocent. Quod si consecuti sunt, palmarium sibi obtinuisse videntur.

Caput II. *Ἐπιτομὴ* Lutheri de Sacramentariismo.

I. Cinglianismus improbo Satanæ astu nostris temporibus inuectus est in Ecclesiam. Nam quemadmodum temporibus Apostolorum post exturbatum ex Ecclesia traditionum humanarum fermentum, cum palmam obtineret Verbum Domini, in id incubuit *μυριότεχνης* Satanæ, ut excitatis in Ecclesia hæresibus, materiam litis in Scripturas ipsas plenis velis inueheret, unde factum est postmodum, ut conuulsa auctoritate Scripturarum, ad consiliorum humanorum remedia infelicissime

S E C U N D U S.

licissimè deuentum sit : ita postquam expurgato Augiæ Papæ
lis stabulo, Verbi diuini puritas nostro seculo refulsit tandem
iterum, atq; in pristina dignitatis fastigio collocata est; vete-
rator improbus hæresium agminibus excitatis, præcipuè Sa-
cramentariismo inuecto, in hoc elaborauit strenuè, vt in inte-
grum assertam Verbi diuini auctoritatem, cum obliuione non
posset, saltem æstro contentionum de ipso verbo conuelleret.

2. Tertius nihil de quacunq; hæresi legere me, inquit Lu-
therus memini, quàm quod Sacramentariismus in ipso statim
ortu suo in partes tam diuersas abiit, & ceu noua quædam hy-
dra, δεκακέφαλος propè apparuit.

3. In fanatica Sacramentariorum doctrina mera inest λο-
γοδαιδάλια: vt mirum sit, homines non vsq; adeò indoctos hæ-
resi ista implicari.

4. Timida ac trepidante conscientia causam suam agunt
Sacramentarij, vt plane appareat, facti sui ipsos pœnitere.
Quod si res adhuc esset integra, sic persuasum habeo, litem
istam nunquam ipsos amplius moturos esse. At nobis sub isto
negotio nunc diuinæ iræ νέμεισι consideranda est, ex qua sola fit,
vt mundi, in primis Germaniæ, erga Euangelium sanctissi-
mum ingratitude, errorum tam crassorum, & palpabilium
quasi tenebrarum supplicio vindicetur.

5. Contra inuictum robur τῆ ἐπιτῆ hæctenus validi, imò spe-
ciosi etiam nihil produxerunt Sacramentarij. Quod glorian-
tur, quod causæ suæ certitudinem iactitant, quod ad diuinum
tribunal prouocant: hæc ego omnia nihil moror. Verba hæc
sunt, & fauciata conscientiæ fucus, & folia illa ficulnea, ex qui-
bus malæ causæ integumentum quæritur. Interim τὸ ἐπιτὸν vn-
guis illis est in vlcere, sudes in oculo, cuius sensum extinguere
nulla ratione possunt.

6. Absurdior Carolstadij τῆτισμὸς est Cinglij σημασία.

7. Iis probationum momentis causæ suæ patroninantur
Sacramentarij: vt si quis mihi ipsorum libros ἀνεπιγυάφει affer-
ret, ego vix al iud putaturus sim, quàm ab agyrta aut stellione
quopiam ac scurra, illos in contumeliam Christianorum esse
scriptos: adeò ne in speciem quidem habent illi, quod veram
pietatem ac religiosam deuotionem sapiat.

H

Quod

L I B E R

8. Quod subinde quæstionem ex quæstione serunt Sacramentarij & modo hos, modo alios dubitationum scrupulos proferunt, turbulentam suæ conscientiæ fluctuationem produunt: quæ quia nihil habet certi, cui innitatur, hinc inde cespitet, & tricas ex tricis eruat necesse est.

Capit. III. Vaticinia Lutheri de
Sacramentariismo.

1. Quod per Sacramentarios, Cœnæ Dominicæ sacramentum ausus est conuellere diabolus, in eo metam audaciæ suæ finire non patietur: sed ulterius figet pedem, & plures adoriatur articulos. Et iam iam scintillantes ipsius oculi hoc nobis minari videntur, articulo de baptismo, peccato originali, persona CHRISTI, nihilo meliorem ab ipso fortunam paratam esse: vt cum Paulo dicere queamus, iam iam operatur mysterium iniquitatis.

2. Si mundi aliqua duratio futura sit, certum est, ad pristina consilia mundum rediturum esse. Nam quemadmodum olim propter crebras & varias de religione controuersias eò deuentum est, vt ex consilijs humanis, Ecclesiæ pax quæsitâ constitutaq; sit: ita posteris etiam temporibus indidem malo huic remedium quæsituri sunt. Verùm eodem quo antiquitùs factum est, euentu, nimirum, vt pacem quidem: sed infelicem, hoc est cum Cimmerijs tenebris, & prophana impietate coniunctam habituri sint.

3. Non metuo, ne diu duret hæc hæresis. Nimis enim crassa atq; audax est: & non obscuras atq; dubias: sed manifestas & planissimas Scripturas impugnat.

4. Quod nostri Schvvermeri tanta libidine sibi permittunt, in quorumuis adeò dictorum factorumq; diuinorum rationes inquirere, ista licentia viam preparant Atheismo, vt parum absit, quin mox CHRISTVS, Deus & omnia sacra abneganda sint. Et iam iam in procinctu est, vt aliqui prorsus nihil credant, quia ad rationis Cynosuram se attemperant, quæ illos in naufragium fidei inductura est.

Pea

S E C V N D V S.

Per Sacramentarios diabolus viam preparat alijs hereticis, qui venturi dicturiq; sunt, C H R I S T V M nihil esse, & neq; carne, neq; Diuinitate constitisse: sicut initiò primitiuae Ecclesiae itidem factum est.

Perpetua Sacramentariorum vox est, ex tripode Munzeri prodita, Res externae non profunt. Huic spiritui Munzeriano non renuntiabunt illi prius, quam tragediam nobis, perinde vt Munzerus, excitauerint. Ex vno enim spiritu, eadem opera: & ex arbore quauis sui generis fructus semper pro-
ueniunt.



H 3

M 1 6 1 6

MEGALANDRI LUTHERI
LIBER TERTIVS IN
CAVSA SACRAMENTARIA
EDITVS, CVI TITVLVS EST, MA-
ior Confessio, in theses resolutus.



I.



Artes libri istius homologetici formales
duæ sunt: quarum prior, τὰ προλεγόμενα: poste-
rior, τὴν ἀφήγησιν ἢ ἐκθεσιν Confessionis Luthera-
næ continet.

II.

τὰ προλεγόμενα duplicis potissimum gene-
ris sunt: quædam τῆς ἐπιγραφῆς: alia τῆς μεταβάσεως propria.

III.

1. In primo genere, locum primum habet, Subiectum
huius libri. Inscribitur enim Confessio de Cœna CHRISTI.

Nota παραφρασεως.

1. Non ergo est Polemicus: non ἐριστικός liber iste, quemadmodum à
Cryptocaluinistis appellatur: sed didacticus, & inter optimos ac præci-
puos Lutheri libros computandus.

2. Cur typos, lucem & lectionem isti libro invident, qui Sacramentarij
perhiberi nolunt?

3. Anne Lutherani erunt, qui Confessionem Lutheranam prohibent?

IIII.

2. In secundo ordine est Autoris nomen, qui fuit D. Mar-
tinus Lutherus, de cuius viri scriptis verè pronuntiatur,

Incipit hæreticus fieri, qui scripta Lutheri

Carpit, & infernum, ni resipiscat, adit.

V.

3. Addita est & Chronologia, annus nimirum 1528. quo
hic

T E R T I U S

hic liber à Luthero scriptus est. Præcedentem igitur librum, qui est *περί τῆς ἐπιστῆς*, proximo statim anno insecutus est. Qua id verò occasione factum sit: historia temporum docet. Libro huic *περί τῆς ἐπιστῆς αἰωνίως* scripto statim duo à Sacramentarijs fuerant oppositi, nominatim contra Lutherum scripti, vnus ab Oecolampadio, sub titulo, Iustæ & æquæ responsionis ad Mart. Lutherum: alter ab ipso Cinglio, quem ipsi etiam Electori Saxonix dedicare non fuerat veritus. Summa huius libri Cingliani, vt & totius controuersix Sacramentariæ, à Luatero quatuor capitibus comprehensa est. Hæc autem, inquit, præcipua fuerunt capita, in quibus Cinglius à Luthero in hac causa dissentiebat, nempe:

1. Quod verba **C H R I S T I**, Hoc est, &c. per metonymiam essent exponenda.
2. Quod **C H R I S T I** Corpus & sanguis, non ore carnali: sed fide dantaxat perciperentur.
3. Quod **C H R I S T I** Corpus in certo cœli loco degeret, neq; per omnia, vt Diuinitas, diffunderetur.
4. Quod impij symbola tantum Corporis & sanguinis **C H R I S T I**, non ipsum corpus **C H R I S T I**, eiusq; sanguinem acciperent.

Nota.

1. Iudicium hinc fiat, An controuersia inter Lutherum & Cinglium sit inanis tantum *λογωμαχία*.
2. Ex his capitibus *κετήγια* sumantur, quibus agnoscantur Cingliani. Nam hodie Cingliani audire nolunt, quos capita ista quatuor Cinglio ipso etiam acrius propugnare nihil suppuet.

VI.

His duobus libris, Lutherus Confessionis hunc librum regessit, quem statim eodem anno ternis alijs oppugnarunt Sacramentarij, Cinglius, Oecolampadius & Bucerus, singulis singuli.

Nota.

1. Ita semper immensum scribendi *κακόνδε* fuit in Sacramentarijs.
2. Et vt certamen cresceret, frigidam suffuderunt.

VII.

Loci

L I B E R

Locī mentio fit, Vitebergæ scilicet, quia hæc sedes belli fuit, qua vt contra Romanensium: ita dipnosophistarum etiam vires fraudesq; , ΠαροCinglianices ille Lutherus heroico spiritu pugnavit. Quæ sedes vt nunquam patrisare desinat, optimus quisq; deuotissimè exoptat.

VIII.

5. Additum est inscriptioni elegans illud Lutheri symbolum ex Psal. 25. Integritas & rectitudo custodiant me, vt animi de bonitate causæ sibi rectissimè consciij, & nihil ad scriptionem simulatum fictitiumue allaturi, in fronte statim indicium appareat. Haçtenus ἐπιγραφή.

Benetuo
lentia.

IX.

Μετάβασις habet primùm τὴ ἀπ' ἀρχῆς ἀνάλυψιν. Gratia enim aguntur Deo pro prioris libri fructu & successu felici, qui geminus fuit. Nam vt confirmandis in veritate piorum multorum animis plurimùm profuit: ita in rabiem ac furorem abigendis aduersarijs peculiarem ἐνέργειαν habuit.

X.

Deinde habet τὴ ἐφεξῆς πρότασιν, & primùm quidem generalem. Negat enim quicquam se deinceps in hoc genere scripturum, cum quia nihil apud aduersarios scribendo proficiat (quorum salutem optat quidem Lutherus: sed ex suo vaticinio desperat) tum quia Apostolus etiam Tit. 3. hæreticum hominem post vnam atq; alteram admonitionem, vitare iubeat: tum deniq; quia hisce remoris, vtiliorum laborum operas studiosè à Satana sibi impediri animaduertat.

Nota.

1. Viderint cauillatores, quàm verè Lutherum insimulent, quasi contendendi libidine litem istam protraxerit.

2. Et quia istis perpetuis disputationibus & contentionibus tandem prophanari hominum animos idem alibi admonet: videndum certe, vt hic seruetur modus istarum disputationum, vt neq; silentio veritas, neq; disputando pietas ledatur, quorum illud fit, cum timidè atq; negligenter: hoc quando praefractè vel acerè causa religionis agitur.

Attentio.
Docilitas.

Speciale illud est in hac πρότασει quod postremum istum librum de hac causa non nisi ad confirmandos infirmos autor se fa-

T E R T I U S.

se fatetur editurum. Mox libri totius diuisione tripartita propolita, quarum prima aduersariæ sententiæ vanitatem monstret: secunda, Scripturarum dicta, controuersia huius propria, explicet: tertia, Confessionem Lutheri constantem atq; ingenuam contineat.

P A R S P R I M A.

XII.

Prima quæstio est de *πελυκεφαλία*. Sacramentarismi in expositione verborum Cœnæ, quæ alia à Cinglio, alia ab Oecolampadio, alia à Carolstadio, atq; ab alijs itidem alia facta est. Huius criminis suspicionem duplici ratione à se amoliri conantur; partim quia scopo omnibus conueniat, dum sola symbola duntaxat præsentia esse omnes statuunt: partim quia Scripturæ etiam vsitatum sit, vt eandem atq; vnã rem diuersis verborum formis enuntiet, exempli gratia, doctrina Euangelij & regnum Dei diuersis similitudinibus à CHRISTO adumbratur, Ioan. 4. per aquæ potionem. Ioan. 6. per carnis suæ manducationem, Matth. 20. per patrem familias, operarios in vineam suam conducentem, Item CHRISTVS vnus atq; idem agnus, petra, lapis angularis, Sol, fons, Sponsus, &c. appellatur.

Nota.

1. Indigna auditu impietas, quamuis deprauanda Scriptura libidinem approbare, dummodò concepta opinionis scopo congruat.
2. Quod Cinglius in causa pessima, candore tamen optimo professus est, Nuda à se statui in Cœna symbola: id pessima fide in pari reata posterius strenuè pernegat.

XIII.

Responsio Lutheri sic habet:

1. Aut malitiam esse in tergiversando: aut *εγγραία ἐλέγχω* in argumentando. Hæc vt manifesta euadat, Quibus hypothesis præmissis opus est: Prior est, Pronomen *δεκτικόν* τῆς *ἑστέ* Hoc, Carolstadius ad Corpus CHRISTI sedens, Cinglius ad panem refert; Verbum EST Cinglius *σημαντικῶς*, Oecolampadius *εσδακτικῶς* accipiendum esse contendit: Corporis
I vocabu-

L I B E R

Vocabulum, ille de corpore ipso CHRISTI; hic de figura corporis intelligendum esse asserit. Hoc in confesso est palam. Altera ὑπόθεσις habet speciem αἰτήματος. Ponitur enim, hæc esse inter se prorsus pugnantia.

Iam κρινόμενον est, Vtrum in explicationibus Sacramentarium circa verba cœnæ Dominicæ sit πολυκεφαλία & multiplex dissensio. Partem negantem probare illi conantur hoc medio, Quia de eadem re diuersa prædicantur, in diuersis locis, diuersoq; respectu. Sic ergo nuda habet probatio:

Non fit contradictio, cum de vna atq; eadem re, in diuersis locis diuersa diuersoq; respectu prædicantur.

Ergo non parit contradicentes sententias, quando verba eadem, eiusdemq; loci, de eadem re, contrario sensu accipiuntur.

Nullam hîc esse συνέχiam patet, quia a multis, ad contraria: ab vnius loci dictis, ad diuersorum locorum prædicata: à respectu vno, ad diuersos fit collectio, id est, de alijs est quaestio: de vno est responsio.

2. ἀπέδειξεν παραδειγματώδην. Cum Ioa. 1. de Christo prædicatur quod sit agnus: fieri potest, vt alio loco de eo prædicetur, Leo, Petra, Fons, &c. idq; sine contradictione. Verum vt hoc ipso loco Ioan. 1. agnus & agnum significet, & Leonem, vel Petram, hoc est, simul & agnum & non agnum denotet, hoc prorsus est ἀντιφατικόν. Eodem modo, cum vnum & idem ἔστι hoc Carolstadius ad corpus Christi sedens: Cinglius ad panem mysticum refert: Vocabulum vnum corporis in eodem loco, Cinglius de vero corpore, Oecolampadius de figura corporis accipit: alteruter utrobique mentiat, & sic contradicentium sententiarum πολυκεφαλία existat necesse est.

3. περίσµα. Cum cuiusq; articuli, aut mysterij Christiani fundamentum sit vnicum VERBUM DEI, idq; certum ἢ ἀνοµοψήβητον, quia textus incertus perinde est, quasi nullus textus, qualis apud Sacramentarios cœna celebretur, quæ textus & Verbi diuini certitudine caret, facile quibus asserere queat.

Nota.

In argumento Cingliano notetur etiam fallacia παρα τὸ μὴ αἰτίον εἶναι αἰτίου

T E R T I U S

αἰτιῶν. Sententiæ diuersæ in scopo conueniunt, hoc est, ad vnum faciendum. Igitur inter se non dissentiunt, sed vnum sunt. Sic in omnibus hæresibus nulla foret dissensio: quia in scopo hoc conueniunt, ut fidem CHRISTI oppugnent.

XIIII.

At statim idem crimen διαφωνίας καὶ ἀντιλογίας in nostram Ecclesiam aduersarij regerunt. Quia Panis mysticus non tantum Corpus CHRISTI esse: sed ab alijs Corpus hoc in Pane, alijs sub aut cum Pane esse dicatur.

XV.

At τὸ ἐν τῷ verborum CHRISTI, phrasibus istis quicquam derogari, Lutherus pernegat.

2. Harum locutionum liberrimum esse vsum pronunciat, quæ vix vnquam vsurpentur, nisi cum de mente sua declaranda aut mysterio ipso explicando studiosissimè orthodoxi laborant.

3. Non caret hæc loquendi ratio, Scripturarum exemplo, planè conueniente. CHRISTVM alibi Apostolus Deum appellat. Rom. 9. alibi Deum in CHRISTO esse pronunciat. Sic nos & Panem ipsum, CHRISTI Corpus esse, & sub Pane vel in Pane idem illud esse indifferenter pronunciamus.

4. Quod si tamen monstrauerit aliquis, vel verbis institutionis hæc Phrases repugnare: vel mutua contrarietate à se inuicem elidi: agedum, paratus est Lutherus, ita his locutionibus nuntium remittere, vt in sola verborum CHRISTI forma sit acquieturus.

5. Interim dum hoc fiat, nemo ipsi libertatem inuidebit, qua, salua semper verborum CHRISTI autoritate, sensum confessionis suæ, quibus potest, apertissimis verbis exponat.

6. Qua tamen diuersitate locutionum, quia sensum vnum & genuinum verborum CHRISTI orthodoxi explicant, contrarietatis aut πολυκεφαλίας sententiarum verè argui non possunt. Contraria enim non sunt statim, quæ inter se diuersa sunt.

7. Quod si hoc contra Lutherum euincerent maximè aduersarij, exigua victoriæ laudem reportarent. Frustra enim aduersæ partis falsitatem perstringit, quisquis verioris doctrinæ manifestam certitudinem vicissim non monstrare potest.



L I B E R

XVI.

Secunda controuersia inter Lutherum & Cinglium est de copula verbali EST, quam pro SIGNIFICAT accipiendam esse Cinglius contendit, quia hæc interpretatio partim non sit à Scripturis aliena; ut quod dicitur, Ioannes est Elias. CHRISTVS est Vitis: Partim propter alia Scripturæ loca & articulos fidei necessaria: imò quia Lutheri sensus sit absurdus etiam fideli intellectui.

Nota.

Hoc argumentum speciosiori forma neoterici Sacramentarij proponunt, dicentes, Verba sacramentorum sacramentaliter esse accipienda. Hanc autem esse sacramentalem loquendi rationem, ut typicè seu figuratè enunciata accipiantur, ut Phase est transitus, hoc est, typum refert transitus, vel representat transitum.

XVII.

Lutherus Scripturæ ne vnico quidem dicto interpretationem istam comprobari posse asserit.

2. *ἐκ τῆς ἑρμηνείας*, ex nullo cuiusquam linguæ idiomate doceri posse affirmat, quod significandi sensum vox Essendi induat.

3. In Metaphoricis istis exemplis afferendis, hallucinari Sacramentarios inscitia Grammaticæ. Nam apud Grammaticos tropus est metaphora, quo artificiosè ex vno vocabulo fiant quasi multa, dum præter vsitatum sensum vnum alij complures figurati eidem verbo tribuuntur, ita ut notis literarum vocabulum quidem sit vnum: per testate autem & significatione fiat multiplex: Exemplo res manifesta euadit: Fieri potest, ut

Qua de re
Horatius:
Dixeris es
gregiè no-
zum si cal-
lida ver-
bum
Reddide-
ris iunctu-
ra nouum.

flos appelletur CHRISTVS. Hic translatum sensum floris vocabulum induit, nec florem agri notat amplius: sed infantem illum Mariæ speciosum. Cum igitur dico, CHRISTVS est flos, non hoc dico, quod CHRISTVS florem significet: sed quod sit reuera flos: non tamen naturalis, qualis in horto crescit; sed nouus aliquis, & peculiaris.

4. Sic Ioannes Eliam non significat: quia ab Elia significatur potius: sed est verus Elias, seu alter aut nouus Elias, ut nos Germani hunc tropum explicamus. CHRISTVS Petram aut vitem non significat (quæ enim alia Petra vel vitis foret à CHRISTO significata?) sed CHRISTVS est vera Petra

Ioan. 15. 1.

T E R T I U S.

ra Petra, est vera vitis, vt ipse loquitur. Quod vocabulum dum Cinglius, non obseruauit, nec signum signato semper vilius esse attendit: duplici errore crassissimo se inuoluit.

XVIII.

Obijciat Oecolampadius, suæ causæ hanc responsionem patrocinari. Sic enim dicit à se constitui ex simplici vocabulo tropicum, vt corpus non alteram hominis partem; sed figuram corporis notet. At in promptu est responsio, perperam istum tropum hic constitui. Certa est enim hæc & indubitata regula, Nunquam à propria & natiua cuiusq; vocabuli significatione recedendum esse, vt tropus asciscatur, nisi id vel manifesta textus necessitas: vel communis fidei ac Scripturarum analogia ineuitabiliter requirat. Oecolampadium verò (si petulantiam excipias) tam nihil cogit, in præsentis negotio, à natiuo vocabuli sensu recedere, quàm nihil cogit nos, Rolandi gladium intelligere, cum Paulus de Euangelio, Rom. 1, quod sit potentia Dei, enuntiat.

XIX.

3. Tertiò, sic patrocinator causæ suæ Cinglius: Si κατὰ τὸ ἐντὸν verba institutionis sunt accipienda, sequitur, vt visibiliter sit Cæna Corpus CHRISTI.

At non est in Cæna Corpus CHRISTI visibiliter. Igitur non sunt verba Cæna κατὰ τὸ ἐντὸν accipienda. Minor tali hyposyllogismo probatur: Corpus id accipitur in Cæna quod pro nobis traditum est in cruce. At traditum est visibiliter. Igitur, tale etiam accipitur.

XX.

Scriptum est, Stultitia ipsorum manifesta erit omnibus. 1. Tim. 3. Sit tibi laus CHRISTE, qui euidentis huius rei hoc loco nobis exemplum præbes, in ἀρροστία δεινοίας, qua Cinglius laborat.

1. Error est in figura dictionis. Nam vox ad prædicamentum Substantiæ pertinens, perinde vsurpatur, quasi ad prædicamentum Qualitatis pertineret: & sub termino substantiali, terminus accidentalis subsumentur.

2. Ingulatur hæc probatio ἀσυνλόγητος absurdis & incommodis.

1. Corpus **C H R I S T I**, quod pro nobis traditum est, sedet ad dextram Dei. At non sedet visibiliter. Igitur planè non sedet.

2. Ioan. 8. dicitur, quod **C H R I S T V S** se absconderit, corpore nimirum, quod nobis traditum est, facto ἀφαντος. At traditum est visibile. Falsum igitur fuerit, quod loco allegato Euangelista narrat.

3. Imò Corpus **C H R I S T I** ubicunq; est, illud ipsum est, quod pro nobis fuit traditum. Sequetur ergo, vt nullibi sit, nisi visibiliter. Quod si id cerni alicubi non contigerit, ibidem statim esse negabitur. Quod est planè falsissimum.

4. Tò **Q V O D** interpretatur Cinglius **Q V A L I T E R**, Pependit autem corpus **C H R I S T I** non visibiliter tantum in cruce: sed pependit medium etiam inter lanceas, Iudæos, cruceas, latrones, clauos. Sequitur ergò hæc omnia etiam in Cœna, aut coelo esse, vbi corpus **C H R I S T I** esse statuitur, quod est pro nobis traditum.

5. Fiat ergo noua tandem Cingliana regula, **Accidens est substantia, nec potest abesse suo subiecto.**

Adiecta sunt corollaria duo. 1. Nemo miretur, si ex Cinglio diabolus illudere religioni, Lutherus persuasum habeat. 2. Thomæ Munzeri vesania, improbitas Cinglij longè est deterior.

X X I.

4. Quartò distinguit Cinglius inter verba mandati, qualia sunt, Non habebis Deos alienos: & inter verba rei gesta, qualia sunt, Gen. 1. Fiat lux. Hinc ita colligit, Quemadmodum non conditurus sim nouum Solem & Lunam, si dicam maximè, quod Deus initiò dixit, Fiat lux: ita si maximè Christus in prima cœna corpus suum dederit discipulis, cum diceret, Hoc est corpus meum, non tamen consequens esse, vt nobis eadem verba pronuntiantibus, Panis elementaris itidem Corpus **C H R I S T I** fiat: quia verba non sunt mandantia, sed rem gestam narrantia.

X X I I.

1. Gratia debentur Cinglio, qui primam saltem cœnam corpore Christi non spoliât. Ex hac enim concessione reliquæ omnes cœnæ Dominicæ, etiam inuito ipso, facile saluabuntur.

Retorsio

T E R T I U S.

2. Retorſio. Verba cœnæ Hoc eſt &c. Cinglius hiftorica & rei geſtæ eſſe largitur. Aut falſa igitur ſunt: aut vera. Si illud, pro iſtis CHRIS TV S reſpondeat. Sin vera; nihilo minus corpus CHRIS TI fuerit neceſſe eſt, quod ille eſſe dixit, quàm Sol & Luna illico ex nihilo facta ſunt, cum vt fierent iſta, idem primitus dixit. Verba enim rei geſtæ hiftorica ſunt, quæ prima ſaltem vice præſtant, quod præ ſe ferunt.

3. Fictitia verò plane eſt iſta verborum, in cœnæ etiam inſtitutione, diſtinctio. Nam verba illa, Hoc eſt corpus meum, quamvis expreſſam mandati formam non habeant; quia tamen & à fronte, & à tergo verbis merè præcipientibus cincta ſunt: neq; cuiquam fas eſt, iſta in adminiſtratione cœnæ omittere; deniq; communi præcepto concluſa eſt hæc actio, Facite hoc &c. communi certè cum iſtis forte cenſenda ſunt, & quin his pronuntiatis fiat non ex operatione conſecrantis: ſed ex virtute omnipotentis CHRIS TI, quod in prima cœna factum eſt, nullatenus dubitandum eſt.

4. Quod ſi Chriſti mandato fit, vt in cœnæ celebratione ex ore ſub perſona eius dicamus, Hoc eſt corpus meum, cum falſum dicere CHRIS TV S nunquam iubeat: conſequens eſt, vt non in prima tantum cœna factum ſit, quod dixit Chriſtus: ſed fiat itidem in omnibus, quod dicere iuſſit, Nempè corpus ſuum eſſe præſens, quod ille pro nobis tradidit.

5. ἑλεγχος ἀντιφάσις. Vt corpus CHRIS TI ſit in cœna, intellectui etiam fideli repugnare Cinglius alibi aſſeruit. Nunc idem corpus in prima cœna fuiſſe præbitum, hæud ire poteſt inſicias, neq; dicere audent, quod id cum fide, aut Scriptura pugnet.

Nota.

Notetur & altera ἀντιφάσις: ſi namq; in prima cœna corpus Chriſti præbitum diſcipulis fuiſſe negant: quomodo ijdem aſcenſionem Chriſti in cœlos obſtare ſibi diſtitant, quo minus participationem Corporis Chriſti in cœna concedant.

XXIII.

5. Quintò ſic argumentatur pro ſuo errore Cinglius?
 Aliam, quam quæ in cruce CHRIS TI facta eſt, expiationem peccatorum docere, hoc eſt, fidem CHRIS TI euertere.
Statuta

L I B E R

Statuta corporis CHRISTI pro nobis traditi praesentia in Coena, remissio peccatorum ex corporali manducatione requirenda esse docetur. Igitur hoc dogmate fides ipsa euertitur.

XXIV.

Primum in maiori tota, & minoris parte praecipua, φλυα-
λογία est. Cum larvis enim pugnatur, si Luthero extra crucem
CHRISTI, expiationem peccatorum nullam esse factam
objicitur: cum vmbri dimicatur, si ex corporali manduca-
tione, remissio peccatorum non esse requirenda dicitur. Lu-
therus enim maius etiam aliquid dicit. Corporalem enim
manducationem, si sit sine fide & spiritu, non tantum non pro-
desse ad remissionem peccatorum docet: sed pestem meram,
imò mortem ipsam esse asserit.

2. Inest minori error παρά τὸ ἐπόμενον. Esto sanè, propter
remissionem peccatorum corpus CHRISTI in Coena non
comedatur; hinc tamen à Coena abesse corpus CHRISTI,
nulla ratione consentaneum est.

3. Error est παρά τὴν ἀγνίαν τῆ ἐλέγχου. Differunt inter se,
Meritum CHRISTI, & distributio meriti: Differt factum
ipsum, & applicatio seu usus facti: differt passio ipsa CHRISTI,
seu expiatio peccatorum, & usus passionis siue appropriatio.
Passio seu expiatio facta est semel in cruce. Huius autem me-
riti distributio, quotidie & ubiq; fit per ministerium Verbi &
Sacramentorum. Dicitur ergo in Coena esse remissio peccato-
rum, non expiatione noua, aut merito CHRISTI nouo:
neq; esse dicitur illa ex sola corporali manducatione: sed di-
stributio meriti, & applicatio remissionis peccatorum, semel
in cruce impetratae, illic fieri credentibus, ex vi diuinæ pro-
missionis docetur. Quod igitur de applicatione dicitur, Cin-
glius ad expiationem accommodat, & usum facti cum facto
ipso confundit.

4. Abducitur ad incommoda & absurda. In coena non est
facta expiatio peccatorum, sed in cruce. Hinc colligit Cin-
glius, Ergo non est in coena corpus CHRISTI. Eadem fir-
mitate concludetur, CHRISTVM neq; in caelum ascen-
disse, neq; ex Maria natum esse: quia non ascendisse in caelum,
neq; vixisse, sed mortuus tantum esse pro peccatis scribitur.

It em

T E R T I V S.

Item colligit Cinglius, Christus non redemit nos in cœna, sed in cruce. Igitur in cœna remissio peccatorum non est requirenda. Pari valore concludam, Christus per Baptismum, per prædicationem verbi non redemit nos. Igitur hinc remissionem peccatorum requirere, friuolum est.

XXV.

6. Sextò ex scripturis veritatem oppugnat Cinglius, maximè his, quibus ascendisse Christus in cœlum Marc. 16. mundum reliquisse. Ioan. 14. Non amplius mundo esse dicitur. Quæ Scripturæ quia stare cum præsentia corporis CHRISTI in cœna nequeant: locum esse huic dognati in Ecclesia nullum posse.

XXVI.

1. Exponitur antecedens, Quid sit in mundo esse, & Mundum relinquere. Prius illud, ex loco Luc. 24. Hi sunt sermones, quos locutus sum vobis, dum adhuc vobiscum eram. Erant autem illi in mundo. Sic igitur iam se non amplius in mundo esse affirmat. Quod & Ioan. 17. 1. expressè asserit, non amplius sum in mundo. Quid igitur: non amplius erat in mundo CHRISTVS? Atqui cum discipulis coràm hæc ipsa loquebatur: cum iisdem cibum à resurrectione capiebat. Res ipsa docet, non præsentiam corporis his dictis negari, quæ etiam cadebat tum sub oculos: sed conditionem humanæ & naturalis vitæ in hoc mundo intelligi. Relinquitur igitur mundus à CHRISTO, cum conditio ista exuitur.

2. Error ergò est *παρὰ τὸ ἐπιβρισθόν* vel *παρὰ τὸ πᾶσι ἀπλῶς* à particulari concludere ad vniuersale negative, CHRISTI corpus non est in cœna conditione naturali. Igitur nullo prorsus modo est: Scultetus non est in balneo rubras indutus caligas. Igitur planè non est in balneo.

3. Retorquetur argumentum: Si his dictis corporis Christi absentiam probare illi volunt: etiam spiritualem præsentiam his ipsis excludant necesse est. Nam ista dicta: Non sum amplius vobiscum, simpliciter absentiam CHRISTI statuere videntur. Dicent illi, præsentiam Spiritus alijs Scripturæ locis promissam hinc non excludi posse. Ioan. 14. Mansionem faciemus apud eum. Ephes. 3. CHRISTVS in cordibus
K vestris

vestris habitat. Quod si cum his textibus stare illa loca de absentia Christi possent: stabunt etiam cum eo, qui nobis presentiam corporis Christi in Coena promittit.

XXVII.

Obijcitur etiam locus Coloss. 3. Si cum Christo consurrexistis, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est, in dextra Dei sedens, quae sursum sunt, sapite; non quae super terram. En inquit Cinglius, rem omnem habetis, Christi corpus non est quaerendum in Coena: Coena enim in terra est: Christus autem sursum est in Coelis ad dextram Dei.

XXVIII.

1. Falsa dicti expositio notatur per abductionem ad absurda. Cur ad conciones sacras accedunt aduersarij? Cur Coenam celebrant? Cur proximum diligunt? Etenim haec omnia in terris sunt. Male igitur his rebus agitur. Male Apostoli Christum sunt secuti. Erat enim in terris.

2. Correctio falsae expositionis. *Τεττονα δὲ ἐπι τῆς γῆς* ab Apostolo vocantur, quae ad mundanam conuersationem faciunt, qualia sunt, quae Ioannes describit, concupiscentia carnis, & oculorum, & superbia vitae.

3. Negatur igitur antecedens. Committitur enim error *παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως*. Coena celebratur in hoc mundo. Igitur est terrenum aliquid. Coena. S. non est aliquid *ἐπι τῆς γῆς*: neque in terra quaeritur. Negatur & alterum illud, Si corpus Christi sit in Coena, esse aliquid *ἐπι τῆς γῆς*, & Diabolica esse calumnia dicitur, si Coenae negotium ad praesentem Apostoli locum reteratur.

XXIX.

Oggannit Cinglius, & locum, 2. Cor. 5. quo a se Christum amplius cognosci secundum carnem, Apostolus negat, & hoc etiam dicto praesentiam corporis Christi in Coena oppugnat.

XXX.

Rursus falsa Scripturae interpretatio eluditur atque eliditur *ἐπι γῆν πρὸς τὸ σπορον*. Si secundum carnem cognoscere, est, corpore praesentem statuere, cur Apostolus, qui a se neminem secundum carnem cognosci asserit, Corinthios praesentes agnouit? cur suum ipsius corpus praesens agnouit? cur Syvermeri

T E R T I Ū S

meri nostri suos coram agnoscunt socios? An, absentes sunt, cum eos coram cognoscunt:

2. ἐπιθεδωνος. Secundum carnem non significat, In carne, sicut somniat, sed more adverbij significat, carnaliter, vel studio & affectu carnis, vel quomodo caro facit. Sic in carne viuere & ambulare: non tamen secundum carnem viuere aut militare dicimur. 2. Cor. 10. Gal. 2. Caro autem sic cognoscit proximum, vt quod suum est, ex ipso querat, oderit inimicos, non beneficiat, nisi suo commodo. Sic pij neminem cognoscunt, sed secundum spiritum. Non enim querunt quæ sua sunt, sed quæ sunt alterius. Quid sibi autem velit eo dicto, Si Christum cognouimus secundum carnem: tamen nunc non amplius cognoscimus: non est difficile intelligere. Vtiq; mutuatam illam externam personæ notitiam non intelligit, quod nugatur Cinglius (hæc enim notitia constabit in æternum, & ipsorum etiam Angelorum est propria) sed affectum cordis notat, quasi dicat, olim sub Iudaismo nihil spirituale sapiebamus de Christo, nil nisi carnale quærebamus, in Messia, quod sit liberaturus Israelem. Luc. 24. Hæc verè carnalis erat agnitio. Talis in nobis nunc non est amplius.

Rom. 2 0.
Phil. 1 0.

3. ἐπιτιμωσις. Ita nullas sanas Scripturæ interpretationes producit Cinglius, quasi nunquam à quoquam orthodoxo quicquam didicerit. Vt optandum sit, ipsum adhuc *Papismum* *ijs in locis florere, vbi isti Scripturarum pestuui sunt interpretes.*

4. σοχασμὸς. Cinglium hæc omnia non seriò: sed fucatè duntaxat, ac affectata improbitate scriptitare. Rationes σοχασμὸς hæc sunt. 1. Suprà discipulis corpus Christi in prima cœna præbitum fuisse largitus est. Quomodo igitur seriò dicere idem potest, quod cum Scripturis pugnet, quod factum esse saltem semel ipse non inficiatus est? 2. Negari non potest Christum tum fuisse in mundo, nondum abiisse ad Patrem, aut ascendisse ad cœlum, cum cœna ista prima habita, & sic Mysterium istud institutum fuit. Quomodo igitur Cinglius ad negandam præsentiam corporis Christi in cœna permoueri dictis de abitu Christi ad patrem, de ascensione in cœlos, potuit? Perinde igitur tum instituta cœna egisse videtur Christus, quasi dicere voluisset, Noui fanaticos orituros esse: qui hoc

L I B E R

Mysterium cum dictis meis de abitu ad patrem pugnare, garrituri sunt. Ut igitur mature ipsos in mendacio confundam, sic ipsos anteueniam, ut Cœnam hanc instituam, priusquam ad patrem abeam.

5. *ἀντιπροφασὶς*. Obijciet Cinglius Scripturas, non cum prima Cœna: sed cum sequentibus pugnantibus statui. Acceptat LUTHERVS quod dicitur, & sat sibi in eo victoriæ paratum esse ait. Rata esto præsentia corporis in prima Cœna: Victoria in residuo incerta esse non diu poterit. Si enim sedere ad mensam, & tamen in pane esse idem corpus simul potuit: quid obstabit, quo minus idem simul etiam in cœlo & pane esse possit, cum ad in, ut in pane sit, nihil intersit siue prope ad mensam adsit, siue quam longissimè etiam absit.

XXXI.

7. Tandem ad acropolin controuersia Cinglius accedit, quæ duobus capitibus continetur, quorum primum est, de Sessione Christi ad dextram Dei: alterum de verbis CHRISTI Ioan. 6. Caro non prodest. De prioris capituli summa ut constet, sic habendum est. Contenderat Cinglius, si stare debeat τὸ ἐν τῷ verborum Cœnæ, euerti articulum de ascensu in cœlum & sessione ad dextram Dei. Huic Lutherus responsi hoc dederat in præcedenti libro, Deo pro sua omnipotentia non esse impossibilem talis alicuius modi inuentionem, quo efficiat, ut corpus Christi, quod in cœlo est, simul etiam sit in Cœna. Inter cætera *ἐν πρᾶξι* hoc adiecerat, Cum dextra Dei non significet certum locum: sed infinitam Dei maiestatem & potentiam, quæ nullo loco sit conclusa: Christus autem ex parte Humanitatis sedeat ad dextram Dei, hoc est, immensa potentia præditus, neq; quoquam loco (si maiestatem istam spectes) conclusus sit, præter alios forte infinitos modos, qui Deo sint possibiles, vel hunc vnum modum docere posse, quod aliquo modo efficere Deus possit, ut & articulo fidei, & verbis cœnæ sua simplex constet veritas, hoc est, & in cœlo sedeat Christus, & corpus tamen suum in cœna exhibeat.

XXXII.

Cum hoc saluberrimum dogma refutandum sibi sumpsisset Cinglius: tria ipsi incumbabant, quæ firmiter demonstranda erant,

Status.

Articu-

T E R T I U S.

1. Articulum Ascensionis stare cum *ἡμετέραν* cœnæ non posse.

2. Nullum esse modum, quo omnipotentia Dei efficere queat, ut vnum & idem corpus Christi simul sit in cœlo, & in cœna.

3. Falsum esse, quod est maiestate Christi Hominis à Luthero dictum fuerat. Hic Rhodus, hic saltus erat.

XXXIII.

Cinglius his rebus omnibus saltu quasi vno præteritis (Excepto eo, quod de omnipræsente Homine Christo disputatum à Luthero fuerat, materia nimirum in Sacramentario foro plausibili) de persona Christi garrere nonnulla occipit. Inter quæ primarium est, quod de *ἀλλοίωσι* sua nugatur, quæ sit, Cum vna natura ponitur pro altera in persona Christi, & vni tribuitur, quod alteri competit, exempli gratia, Cum Filio Dei mors tribuitur, quæ sit Humanitatis propria.

Nota.

Excusant hanc profanitatem Tigurini in quadam Apologia, & Cinglium nihil aliud, quam Communicationem Idiomatum per ἀλλοίωσιν istam intellexisse asserunt. Sed vanitas deprehenditur ex definitione Communicationis Idiomatum.

Ru. Gualtheri fol. 32.

XXXIII.

Progreditur autem istuc Cinglius eò impietatis, ut omniū foedissimam esse hæresin asserat, Si quis Filium Dei pro nobis esse mortuum credat. Imò tandem etiam aphorismum illum Apostolicum Ioan. 1. Verbum caro factum est, prorsus peruertens, sic esse accipiendum hoc mysterium dicat, quod caro Verbum facta sit.

XXXV.

Qualis in hoc tractatu Lutheri sit *ἰσχυρισμός*, punctatim accipe.

1. Fugiendus est Cinglius cum suis scriptis non secus, quam ipsius infernalis Satanae venenum.

2. Caue tibi, caue inquam sedulo ab Allæosi Cinglij. Nam est ipsa diaboli larua.

L I B E R

3. Nos detestamur & abominamur ἀλλοίωσιν Cinglij, vt ipsissimum diaboli instinctum & ad tartara vsq; deuouemus.

4. Indignus est porro Cinglius omni responso, nisi blasphemam ἀλλοίωσιν suam reuocet.

5. Ego pro me, inquit Lutherus, fateor, quod Cinglium pro infideli atq; ἀθέω habeam. Nam de nullo capite religionis Christianæ rectè sentit, & septies est, deterior, quam dum etiamnum Papista esset.

XXXVI.

Ne hoc præter graues rationes facere Lutherus videatur, Lutheri verba accipe.

1. ἀλλοίωσις ista Cinglij talem tandem Christum efficit, & quo ego Christianus appellari nolim, nempe, vt Christus deinceps non aliud sit aut agat sua passione vitæ: omni, quam quiuis ex sanctorum grege. Enimuerò si Christi humanam tantum naturam pro me passam fuisse credo, leuiculus Saluator Christus mihi fuerit, sed ipse potius Saluatore opus habeat. Imò dici non potest, quid mali diabolus sub ista larua quærat.

2. Stante ἀλλοίωσει Cingliana, persona Christi soluatur, & in duas personas redigatur, necesse est. Enimuerò si passionis atq; opera Christi segregantur, vt naturis tribuantur, unitas personæ tollitur. Operationes enim & passionis non sunt naturarum, sed personæ tantum propriæ.

3. Isto Cinglij dogmate omnis omnium Christianorum fides & salus è medio tollitur. Qui enim à sola humanitate redemptus est, nondum sanè redemptus est, neq; vnquam redimetur.

XXXVII.

ἑτεροδιδασκαλία isti Lutherus τύπον ὑγιαίνοντων λόγων opponit.

1. Christus verus Deus & homo est in vna persona. Duæ ergo, naturæ, diuina & humana, vnâ personam constituunt.

2. Sed Christum in vna persona Deum & hominem verum confitemur, non confundendo naturas, earumue proprietates: nec diuidendo personam.

3. Sic autem personaliter unitæ sunt naturæ, vt arctissimè inter

T E R T I V S.

Inter se communicent, ita vt quod proprium est humanitatis, Scriptura Diuinitati in concreto tribuat propter vnionem personalem, & vice versa. Non id autem nomine tantum communicet aut praedicatione verbali: sed quod *Res ita se reuera habeat.*

4. Non est verò proprietatum duntaxat in persona communicatio: sed & actionum, operationum atque passionum omnium. Quia enim personaliter vnita sunt naturæ, hinc adeo fit, vt quicquid facit Deus, dicatur etiam fecisse homo Christus: Quicquid passus Filius Mariæ, passus dicatur etiam Filius Dei. Persona enim est, quæ operatur & patitur. Et quamuis diuinitas non patiatur, quippe ἀπαθής: tamen persona ea patitur, quæ Deus est: patitur autem secundum humanitatem.

5. Ex hac arctissima & indissolubili vnione sequitur, vt Christus, vbicumque est, totus sit. Totus autem est, qui constat ex Diuinitate & Humanitate. Post factam vnionem, Natura vna non est Christus, sed vtraq;. Quocunq; igitur loco Diuinitatem collocas, Humanitatem excludere non potes, quip personam soluas: & vbicumq; dicere potes, Hic est Filius Dei: ibidem dicendus est etiam esse Filius Mariæ.

6. Quando ergò huic accedit illud quoq;, quod Christus secundum Humanitatem ad dextram Dei collocatus est: & verò monstrari à Cinglio nequit, quod dextra Dei sit peculiaris quispiam locus in cælo: vt sic rata maneat sententia, quod corpus CHRISTI sit vbiqu; , quia dextra Dei, ad quam sedet Christus itidem vbiqu; est: coniectaneum esse vitro Lutherus illud putat, quod pugnauit, Sessionem in cælo non pugnare cum sententia, τὸ ἐν τῷ in Cæna, & saltem eo, qui monstratus est, modo, doceri posse, non esse Deo impossibile, vt saluo ascensionis articulo præsentiam corporis Christi, promissam in Cæna præstet.

XXXVIII.

Fundamenta, quibus in hac causa Lutherus vtitur, hæc sunt:

1. Christus Iesus verus est Deus & homo in vna insolubili persona.

2. Dextra Dei est vbiqu; .

Verbum

L I B E R

3. Verbum Dei verum est, nec mentiri potest.
 4. Deus varios habet modos, quibus alicubi esse possit aliquid.

Vulgo tres modi recensentur, quo aliquid dicatur esse alicubi. 1. Localis & circumscriptivus, qui est corporum naturalium proprius, quæ loca sibi habent *ἰσχυρισμῶν*. 2. Definitivus, quo modo alicubi sunt angeli & spiritus, qui loci capedine non tamen mensurantur. Hoc modo Christus usus est per lapidem sepulchralem egrediens, per clausas fores intrans. Qui modus corpori etiam Christi in pane conuenit. 3. Repletivus, solius Dei proprius qui sic omnia replet loca, ut nullo concludatur, *Ierem. 23.*

Nota.

Fundamenta hic primarias rationes appellari, satis notum est. Intempestivum igitur est cavillum, quo presentia corporis Christi in Cæna, non unum, sed quatuor fundamenta collocari aliqui garriunt.

XXXIX.

Imò Christi corpus, secundum diversos status consideratum triplici modo alicubi esse manifestè deprehenditur.

XL.

Primus modus Physicus est, quo tempore exinanitionis plerunq; usus est, & non rarò etiam post resurrectionem, quo modo etiamnum uti potest, quando vult. Utetur autem in adventu novissimo, 1. *Timot. 6.* Quo modo neq; cum Deo, neq; cum Patre, neq; in cælo est. Huic enim locorum spatia non pertingunt.

XLI.

Secundus spiritualis siue gloriosus est, qui idem est cum definitivo, quo ipsa etiam corpora in momento penetrare Christus potuit, quo modo Christus corpore suo nunc in cælis est cum angelis & beatis cœlitibus, non spacia locorum occupans; sed spirituum more, quiduis in momento penetrans. Quo modo nos etiam expectamus corpora, corpori Christi in resurrectione iultorum *σὺμμορφῶν*.

XLII.

Tertius modus singularis ac diivinus est, quo nimirum cum Deo una persona est.

Iam

Iam quàm piè ex his philosophetur Lutherus, auscultan-
dum est.

1. Si piè rectèq; sentire volumus, sic de Christo cogitan-
dum est, quod Diuinitas eius sit extra & supra omnes crea-
turas.

2. Quia verò humanitas Christi sola (quamuis per se crea-
tura) sic est coniuncta Diuinitati, vt vnum cum ea ὑφιστάμενον
constituat: fieri aliter nequit, quin hæc ipsa quoque supra &
extra alias omnes creaturas, nec nisi infra solum Deum collo-
canda sit. Hoc respectu considerationem huius mysterij subi-
turi, quasi extra hunc mundum, & in nouum quendam orbem
rapimur.

3. Hic ergo iudicium penes fidem esto. Extra creaturas
præter Deum nihil est. Ad Deum autem sola Christi pertingit
humanitas, ita, vt vnum cum ipso personaliter fiat. Sic igitur
supra creaturas omnes euehatur necesse est, vt vbi Deus est, ibi
sit ista etiam Humanitas.

4. Et quia λόγος non ex parte, sed totus incarnatus est, in-
carnatus autem ab assumpta personaliter Humanitate in æter-
num nunquam seiungitur: deniq; extra istum hominem, qui
cum Deo ὑπόστατικῶς vnitus est, nullus planè Deus est: prorsus
efficitur, vt Homo iste nusquam absit, vbi Deus est: & sic o-
mnia penitissimè plena sint Christo, etiam secundum Humanitatem,
non quidem modo illo essendi primo, qui corporeus est: sed
modo illo vltimo, qui singularis ac diuinus est. Hoc enim in-
dubitata firmitate tenendum est, vt quocunq; loco statuis esse
Diuinitatem Filij Dei siue λόγον, ibi incarnatum statuas, & ὑπόστα-
τικῶς indiuisum. Quod si personaliter est, vbicunq; est: homo
etiam istic sit necesse est. Non enim duæ diuisæ sunt personæ:
sed vnus est Christus, & vbicunq; dicere potes, Hic est Deus,
dicendum tibi est, ibidem etiam esse hominem Christum.

5. Quod si ullum locum dare velles, quo Deus esset, non
autem ibi simul esset homo iam solutio personæ fieret. Posses
enim dicere, Ibi Deum esse, qui non simul homo esset.

6. Absit verò, talem vt Christum habeamus. Nam sic se-
queretur, quod spacia & διαστήματα locorum, naturas illas per-
sona-

L I B E R

sonaliter, vnitas separare possent: cum tamen neq; mors, neq; diabolus diuellere eas potuerit. Et sic miser Christus fieret, qui vno tantum loco Diuinitati iunctus regnaret: alijs, ab eadem separatus agere necesse haberet. Absit, absit procul talis naturarum separatio.

Nota.

Contra
Papum,
fol. 63.

Mentitur Beza, qui Lutherum tantum ex abundantia de vniuersali ista Christi presentia differuisse asserit. Hæc enim tractatio certè ex professo hic, & seriò valdè instituta est.

Quia verò idem non nisi posita hac, presentiam corporis Christi in Cæna stare posse (in quo tamen ipso quoq; mentitur) affirmat: cur hoc isti hominum generi dogma adeò sit inuisum ostendit, & vt qui Lutherane doctrine fauent, minus huic dogmati iniqui sint, admonet.

XLIV.

Exemplo res ista vsitato illustratur, Animæ & corporis: Nam vt horum tam est arcta vnio, vt corpus nusquam statuere possis, vbi absit anima, & vice versa: ita Humanitatem à Diuinitate in Christo nunquam fas est seiungere.

XLV.

Accedunt Scripturæ testimonia. Col. 2. 9. In Christo habitat plenitudo Diuinitatis corporaliter. Eph. 4. 10. Qui descendit, idem est, qui ascendit super omnes cælos, vt imple- ret omnia.

XLVI.

Hæc tandem ad præsens institutum Lutherus accommo- dat: idq; variè.

1. Ex secundo modo τὸ εἰναπύ, iam monstratum est, cor- pus Christi si sit alicubi, non esse necesse, vt sit modo physico, secundum dimensiones. Nam ἀπεριγραπτός, ὑπερφυσικός corpus ipsius per lapidem sepulchralem, & fores clausas penetrasse certum est.

2. Quod si isto saltem modo, qui corporibus nostris in gloria communis erit, potuit esse citra dimensionum & loco- rum condiciones, in lapide & foribus: quid prohibeat, quo minus eodem modo possit esse etiam in pane cænæ?

4. Quod si isto modo vsus, conditioni rerum naturalium non subiucuit & sic in creaturis fuit, vt non mensurarent ipsum aut comprehenderent: quanto magis secundum tertium istum

singu-

T E R T I Ū S

ſingularem ac diuinum modum ſic penetrare creaturas omnes poterit, vt cum ipſe omnibus ſit præſentiſſimus, à nulla tamen comprehendatur.

4. Hunc enim modum, quo homo iſte cum Deo vna perſona factus eſt, longiſſimè extra omnem creaturarum conditionem collocabis, tanto nimirū interuallo, quanto Deus ipſe ab iſtis remotus eſt. Rurſus ita propinquè ac profundè eundem intra omnes creaturas collocabis, quā penitiſſimè ineſt Deus.

5. Quod ſi hoc Myſterium Cinglius intelligeret, præſentiæ corporis Chriſti in cœna promiſſæ minimè adeò iniquus eſſet.

6. Viſus noſter, apertis quàm primùm oculis, vno momento longiſſima locorum ſpacia penetrat, & anguſtiſſimo ſpacio omnium viſibilium obiecta capit. An potentia Dei omnem creaturarum ambitum corpori Chriſti non reddere, etiam ſimiliter poſſit præſentem aut penetrabilem?

7. Spirituum ea eſt condito, vt ferreos etiam muros penetrare queat? Quid non glorificato tantùm ac ſpirituale; ſed cum Diuinitate *τὸ λόγος ὑποſτατικῶς* vnito corpori Chriſti dicemus eſſe impoſſibile?

8. Reperiuntur vitra cryſtallina, & gemmæ, quibus aliquid nubeculæ intus ineſſe deprehenditur, Quocunq; obuertas illas, quauis parte foris quaſi inhærentes apparent iſtæ maculæ.

9. Vox vna eſt miniſtri, quæ à concionante editur. Illa tamen vna in cætu aliquot millium, à ſingulis auditoribus tota percipitur.

10. Si ſpeculum vnum in mille partes confringas, partium tamen quælibet faciem repræſentat obiectam integram, quæ ab integro ſpeculo vna duntaxat repræſentata fuerat.

11. Si in craſſis & naturalibus corporibus tam ſtupenda nobis Deus proponit miracula: an non fatuum atq; impium eſt, diuinæ potentiæ in diuino Chriſti corpore modum velle ſtatuerè?

XLVII.

Sed hæc omnia floccifaciens Cinglius, in id, quod de omnipræſentia dictum eſt, totis viribus perſequendum rapitur: partim oſtentandæ eruditionis gratia: partim vt à propoſito ſcopo diſputationis auditorem abductum, obliuione præſentis materiæ obruat.

L I B E R

XLVIII.

Hac animaduersa fraude, non prius in hanc arenam disputaturus quilibet cum Cinglianis descendet, quam demonstratum ab istis fuerit. 1. Sensionem Christi in caelo pugnare cum praesentia corporis eiusdem in coena. 2. Nullam diuinæ omnipotentiae constare rationem, qua efficiat, ut corpus Christi simul & in caelo & in coena sit. 3. Vnum duntaxat esse modum, quo Christi corpus sit alicubi, nimirum localem illum atq; physicum.

Nota.

Contra
Pappum.
fol. 63.

1. Scribit Beza, iussisse Lutherum questionem istam de omnipresentia Christi facessere. Hoc praesens locus non requirit.

2. Et tamen, si res esset integra, forte, non inconsultum foret, de hac ipsa controuersia cum Sacramentarijs ne vnum quidem verbulum commutare, partim quia mysterium istud captu humano superius: partim & precipue, quia id simplicioribus scitu non necessarium: propter fanaticos autem tractatu non modo superuacaneum: sed noxium etiam & periculosum est.

3. Et tamen Deo debetur gratia, qui huius controuersiae agitatione, Ecclesiam ingenti luce & claritate, in articulo de persona, & gloriosa Maestate Christi, donauit.

XLIX.

Audiantur tamen subtilitates Cinglij. 1. Eutichianismi nos insimulat.

L.

Hoc crimen merito impingeret, si vel Naturarum, vel proprietatum, atq; actionum in Christi persona fieret confusio. At neutrum horum fit, Diuinitas non dicitur esse Humanitas, nec contra. Nulla alterutrius naturae proprietas, vel actio, statuitur esse aut fieri alterius propria. Falsa est ergo insimulatio.

LI.

Obijcitur Martionismus, quia tale Christo tribuatur corpus, quod Diuinitatem totam, quae ubiq; sit diffusa, ambiat. Quale nullum in natura sit.

LII.

1. Petulantiam ista obiectio respicit.

2. Allegare inaeconueniens non est soluere argumenta.

Prodis

T E R T I V S.

3. Prodit crassitiem cerebri sui Cinglius: Fingit enim Deū quantum & essentia tua expansum ac diffusum.

4. Alia est diuinæ essentiæ ratio, & planè imperscrutabilis, quæ cum in minimo quouis grano tota sit: tamen omnes creaturas longè excedit. Non igitur hîc est ambitu aut comprehensione nîcra opus, Vnum corpus vastius est, quam vt pro capienda Diuinitate faciat. Mille enim Diuinitates in vno & eodem corpore latitare queant. Rursus angustia corporis vnus infinitis modis minor est, quam vt comprehendere vel vnam Diuinitatem possit. Nihil ita paruum est, quo non sit minor Deus: nihil ita magnum, breue, longum, latum aut angustum: quod non magnitudine, breuitate, longitudine, latitudine aut angustia Deus superet.

LIII.

Obijcit & expansionem corporis Christi, quæ sit absurda cogitatu.

LIIII.

1. *ἐπιτιμῶν* opponitur, Apage cum ista crassitie.

2. *Νύκτα*. Calceos cum Mose exue, cum Nicodemo renascere.

3. *ἕρμαι*, Fores non expansæ fuerunt, corpore eius transeunte.

4. In Diuinitatem non cadit expansio, nec coarctatio, Quod est ergo in Deo, & cum Deo, ad hoc, vt ita sit, expansione nulla indiget.

LV.

At Christo infinitum corpus affingi, & sic duo infinita introduci clamitat.

LVI.

Qui nam verò? At ne mundus quidem ipse infinitus est: qui ergo infinitum fiat, quod in omnibus mundi locis sit? an ne finiti partes possunt esse infinitæ?

2. Non aliter istud sequitur, quod obijcit, quàm si modus istius præsentia statueretur physicus. Cuius contrarium à Luthero sæpè est assertum.

3. Nec angeli in infinitam naturam abeunt, qui faciem Patris coelestis semper intuentes in cœlis, hominibus tamen in

L 3

terra

L I B E R

terra ministrant. Cur de Christo ergo absurdum istud obij-
citur?

LVII.

Porro sic concludit, In caelo est Christus suo corpore.
Igitur non ubique. Addit idem, Dum in terra fuerit Christus,
in caelo esse eundem minimè potuisse, quod ex Ioan. 3. Luthe-
rus asseuerat.

LVIII.

1. Nescit Cinglius, inquit Lutherus, quid sit, In caelo esse.
2. Quicquid in Deo est, id aliter esse, quam in caelo, non potest.
3. Imò longè maius est esse in Deo, & cum Deo vnā per-
sonam esse, quam in caelo esse.
4. At à primo natiuitatis momento Humanitas Christi
magis cum Deo, imò in Deo fuit, quam ipsi Angeli.
5. Magis igitur etiam, quam isti, in caelo fuit. Nisi verò
ipse Deus nondum in caelo fuerit.
6. Obijcit Cinglius, Sic pati Christum non potuisse, neq;
edere, aut bibere, dormire, mori & similia. Nam hæc in cæ-
lo non habere locum.
7. Eadem de Diuinitate non dicuntur. Annè igitur in Deo
Humanitas Christi non fuerit? Nihil minus.

LIX.

Colophonis loco eam quoque absurditatem obijcit: Si
Christus sit ubique, fore & electos ac beatos cælites? Quia di-
cum sit ab ipso, Fore istos, vbi ipse sit.

LX.

1. Mirum, inquit Lutherus, quod non infert Cinglius,
Nos omnes etiam in Deo, ac proinde non minus, quam Chri-
stum, Deos & homines esse.
2. Erimusnè igitur omnes etiam in lapide sepulchrali, quo
Christus fuit?
3. Retorquetur argumentum Vbi Christus est, nos esse
non possumus. Non enim minus repugnat rationi & naturæ,
vt duo aut plura corpora in vno loco sint, quam vt vnum cor-
pus sit in multis locis.
4. Error est, *παρὰ τὸ μὴ ἄριστον ὡς ἄριστον.* Quod cum Christo
erunt

T E R T I V S.

erunt sancti, communis est beatitudinis, Maiestas autem illa quam Christo nos tribuimus, obtingit ipsi ex sessione ad dextram Dei, quæ gloria soli Christo competit. Ergo quamuis secundo essendi modo futuri sumus, ubi Christus est: Tertio tamen modo esse ubi Christus est, (nimirum in Deo personaliter) nunquam possumus. Haftenus primum illud κεφάλαιον. Sequitur alteram.

LXI.

Ad probandum corporis Dominici à cœna S. & omni participatione humana absentiam, Cinglius argumento ab inutili ducto locum, Ioan. 6. allegarat in hunc modum, Carnem Christi non prodesse: hoc significans, si fieri posset maximè, quod ille impossibile iudicabat, ut in esum hominum caro Christi cederet, nulli tamen eam fore vsui.

LXII.

Lutherus corrigens hunc in Cinglio errorem & blasphemiam interpretatus. Carnem Dominicam non eò referendam esse monuit, ubi dictum sit, Quicquid ex carne natum est, caro est: sed proprium esse potius eorum verborum, quibus dicitur, Quicquid ex spiritu natum est, spiritus est.

LXIII.

Replicat Cinglius. 1. Carnem Christi Carnem omninò esse, & ex carne natam. 2. Perperam ex eo spiritum fieri. Hanc esse γνώμην & communem sententiam, qua dictum sit; Quicquid ex carne natum est, carnem esse. Christi igitur carnem non posse excipi.

LXIV.

Hanc ἐπιπαλασνευθὴν Cinglianam sic demolitur Lutherus.

1. Error est: πρὸς τὸ σχῆμα τῆς λέξεως: Lutherus dicit, Carnem Christi non pertinere ad dictum Ioannis, Quicquid ex carne natum est, caro est. Loquitur autem de carne humana metaphoricè, corruptionem scilicet iintelligens, locutione impropria seu Spirituali: Cinglius carnem tamen esse dicit etiam carnem Christi, propriè & simpliciter seu physicè accepto Carnis vocabulo. Confundit ergo homonyma cum synonymis. Eundem errorem geminat Cinglius in Spiritus etiam vocabulo.

Error:

L I B E R

2. Error est *περὶ τὸ ἰσχυρὸν*. Est gnome. Igitur ad Christum etiam pertinet. Nunquid gnome est etiam, Omnis homo mendax est? An igitur ad Christum etiam pertinet?

3. *ἐπίπληξις*. Cum dicto isto Ioannis damnetur carnalis & vetus generatio: anathema esto, qui isto sensu, Christi carnem ex carne esse natam dixerit.

Luc. 24.
Gen. 1.

4. Correctio erroris. Carnem hoc loco intelligit Cinglius de substantia à Deo condita. Hæc significatio non quadrat ijs locis, in quibus caro & sanguis damnationis rea peragitur in Scripturis. Omnis enim creatura Dei bona est, neq; damnat Deus opera, quæ ipse condidit. Alia igitur in præsentī loco Carnis quærenda est significatio, ea nimirum, quæ non creaturam aut opus Dei notet, sed conditionem tantum Carnis spectet, nimirum, quatenus ea est spiritu, regeneratione, & sanctimonia vacua. Talem carnem Christus non habuit: & talis ne esset, ex semine virili nasci noluit: sed ex obumbratione Spiritus sancti concipi, ut caro eius quodammodo esset Spiritus, hoc est, merè sancta.

LXV.

Posita tali, quam diximus, opinionis suæ confirmatione, etia Cinglius Luthero admodum atrociter obijcit circa verba ista, Caro non prodest. Quorum primum est *ἀντίφασις*. Nam cum aliàs Lutherus doceat, manducationem corporis Christi carnalem non prodesse: hoc loco ab eodem statui, quod prodest carnis Christi manducatio.

LXVI.

1. Ponitur *ἰμολόγησις* Lutheri *μὴ ἀξίως*: Docui inquit, prius illud, & quod maius est, docui, Corporaliter tantum manducatum, sine fide, etiam pestem ac mortem esse. Docui & alterum istud, sed addito *προσδιορισμῶ*, prodesse, in fide manducatum.

2. *Ζητούμενον*, An sint istæ contradictoria?

3. *ἀπόφασις*. Quia non respectu eiusdem dicuntur, Non enim prodesse sine fide manducatum carnem Christi: & Prodesse cum fide manducatum, adeò inter se non contradicunt, ut ex vno potius alterum sponte sua consequatur.

Alterum

T E R T I U S

LXVII.

Alterum obiectum Cinglij est de Crimine falsi. Nam cum in Græco expressus à Ioanne sit articulus ἡ σάρξ ἐκ ὀφθαλμῶν ἰδῆν, eum in Germanica translatione à Luthero omissum esse.

LXVIII.

1. ἄτοπον. Latinæ omnes versiones erunt falsæ, quæ idem crimen omnes admiserunt.

2. Error est παρὰ τὸ ἐπὶ ὄμεινον. In Græco additus est articulus. Igitur in Germanico etiam exprimendus est. Non sequitur. In græca lingua ἰδιωτισμὸς hoc requirit: In Germanica non itidem, quod & res ipsa, & mille scripturæ exempla comprobant.

LXIX.

Sed auget hanc absurditatem Cinglius maiori alia, & hoc vult articulo isto significari, quasi δεικτικῶς caro Christi notata sit, ut æquipolleat ei, quod dici poterat, αὐτὴ ταύτη, hæc ipsa caro, in qua sum, non prodest.

LXX.

Quid hinc rudis asinus? Articulus ergo, pronomen illi demonstratiuum fuerit? absit. Differunt enim longissime articuli & pronomina demonstratiua. Quod cum ille non obseruat, & δεικτικῶς ad carnem Christi refert, quod de carne absolute dictum est, criminis ipse reus fit, cuius Lutherum falso reum peragit.

LXXI.

Sed relictis verbis ad rem se accingit Cinglius, & quod de Christi carne verba ista sint intelligenda, probare contendit, idque primum ex murmure discipulorum. 2. ex scandalo eorundem. 3. quia ibi Christus de ascensu suo concionetur. 4. Quia spiritui viuificationem tribuat. 5. Quia dicat, Verba quæ loquor, sunt spiritus & vita. 6. Quia fidei, & verborum vitæ, in illo capite fiat mentio.

LXXII.

Lutherus argutias & acumen Cinglij demiratur, cui quidnis ex quouis sequitur, adeo, ut quid sibi velit plerunque ne diuinari quidem queat. Ἀσυλλόγιστα autem esse pleraque, quædam etiam ἐπερόδοξα, nemo non videt.

L I B E R

Summa concionis illius Christi hæc est, Quod de spiri-
tuali manducatione carnis suæ docet. Accommodat autem
concionem ad conditionem discipulorum. Aliqui carnales
erant: alij spirituales. Vtriq; dicit, quod conueniebat. Istis,
Caro non prodest: his, Spiritus est, qui vivificat. addita ex-
plicatione, Verba mea spiritus sunt & vita, quasi dicat, scho-
la mea spirituales auditores requirit: qui carnales sunt, pro-
cul faceffant.

LXXIII.

Tertium obiectum Luthero impingit errorem. Scripse-
rat hic, certam esse regulam, vbi unq; caro & Spiritus in Scri-
ptura opponantur, carnem Christi non intelligi posse: sed
corruptionem, quæ est ex Adamo, intelligendam esse. Huius
contrarium loco isto Ioannis doceri, Cinglius assertor est. Igi-
tur falsa est regula.

LXXIV.

Assertio antecedentis falsa est. Cadit igitur consequens.
Patet antecedentis falsitas cum ex prædictis, tum tali demon-
stratione.

Si caro Christi spiritui non aduersatur, ea opposita Spi-
ritui à Ioanne esse non potest intelligi.

Atqui adeò non aduersatur, vt ex Spiritu Sancto conce-
pta, & plena sit Sancti Spiritus. Igitur Spiritui à Ioanne non
potest opposita intelligi.

Connexum hypotheticum est perspicuum, saltem ex
contrariorum consequentium pugna. Nam vt vivificum esse
nequit, quod nihil prodest: ita spiritui non aduersari, & ei-
dem esse oppositum, prorsus inuicem se excludunt. Sed hæc
de Cinglij libro hætenus. Sequitur, quid de Oecolampadij
libro Lutherus iudicet.

LXXV.

Oecolampadius Cinglij errorem correcturus, in pari ca-
ecitate disparem tropum inuenit. Sic enim verba Christi in-
terpretanda censuit, Hoc est corpus meum, id est, Panis est
figura seu signum corporis mei, Corpore nimirum, pro figura
aut signo corporis posito. Hæc summa erroris fuit.

LXXVI.

Summa

T E R T I U S.

Summa Lutheranae refutationis in hoc consistit, Tropi istius rationem neque esse artis logicae praecipis, nec Scripturarum exemplis, nec naturae conditioni consentaneam.

LXXVII.

Quod Grammaticae non conueniat iste Tropus & figurandi ratio probatur.

In omni Tropo, quo veteris Significationis in nouam fit translatio, ea est signandi & figurandi ratio, ut vetus significatio figuret & adumbret nouam: non noua designet veterem: Exempli gratia. Christus vitis appellatur translata significatione & noua: frutex ille in vinea, veteri & propria significatione sic dicitur. Hic non possum dicere, quod Christus significet vitem, aut sit figura vitis, sed vitis frutex signat potius Christum.

In Tropo isto, & figuratione Oecolampadiana prorsus fit contrarium. Nam figura corporis aut signum corporis (quod instar noui & translati significatus pro corpore ponit) retro corpus ipsum, veteri significatione positum signare & figurare dicitur, hoc est, fit inuersa planè & praepostera Tropi ratio. Igitur Grammaticae Tropus iste non congruit.

LXXVIII.

In scripturis *νεοπικῶς*, Christus vitis, agnus, petra, &c. Ecclesia, ager, Verbum, semen: Ioannes, Elias: Euangelium, nouum testamentum appellatur. At nullibi patitur veritas, figurae, signi, aut similitudinis notam praedicato addere. Prorsus enim inuerteretur & Tropi, & veritatis ratio. Nec dissimile exemplum in Scripturis reperiri potest. Igitur Tropus Oecolampadij locum habere non potest in Scriptura.

LXXIX.

Nec obstat, quod ex vulgari consuetudine loquendi obijcitur, quod de imagine Petri rogatus, Petrum esse respondeat.

LXXX.

1. *ιδιωτικῆ*, non *γραφικῆ* seu *ἔγγραφος* est haec locutio.
2. Ad Oecolampadium subleuandum nihil facit. Nam hoc loquendi modo essentia cuiusque rei explicatur, qualis est. Nam & pictus Petrus, Petrus est, & rosa picta, rosa est, de qua, quid sit, rogatus, non respondet, quid significet, sed quid sit, rosa scilicet: sed picta.

M 2

Sum

L I B E R

3. Cum ergo in Cœnæ verbis extet etiam verbum *Ἐστιν* Es T, corpus oportet relinquat Oecolampadius: non figuram, nisi totam vim istius copulæ prorsus eneruare velit.

LXXXI.

Iam natura etiam Tropum istum non patitur, aut ratio.

1. Panis ipse in cœna est symbolicus. Iam corporis figuram adde aut signum. Sic signum alterius signi signum erit, & sic sonabit oratio, Panis est signum signi corporis.

2. Quæ transferuntur, secundum similitudinem transferuntur, inquit Grammatici. Ecquæ verò est pani cum corpore Christi similitudo? quæ vini cum sanguine Christi analogia? Nulla. Rectius paschalis agni Sacramento relicto quam nouo isto instituto, Ecclesiæ suæ Christus consulisset.

LXXXII.

Dicent illi in manducando & bibendo similitudinis neruum esse positum, quia ut panis comedatur, vinum bibatur: sic spiritualiter nobis manducandum corpus, bibendum sanguinem Christi propinari.

LXXXIII.

Absonè hoc respondebitur. Nam tropus non in edendi aut bibendi: sed in corporis vocabulo ab Oecolampadio collocatur. In hoc ergò solo analogica similitudo monstrabitur.

LXXXIII.

Alij in vocabulo Frangendi analogiam istam quærunt. Nam ut Panis frangitur: sic corpus Christi in cruce fractum, id est, excarnificatum esse.

LXXXV.

1. Hoc est ignotum per ignotum demonstrare. Nam ista vocabuli Frangendi significatio nondum ex Scripturis est probata.

2. Hæc interpretatio tropum à corpore rursus in aliud vocabulum transferet.

3. Scriptura nos secuti fractionem pro distributione accipimus.

1. Cor. 10.
Ioan. 19.

4. Scriptura vocem frangendi prorsus à passione Christi excludit, Impleta est, inquit, Scriptura, Os ipsi non comminuetis.

Analo-

TERTIUS.

5. Analogia in prima parte cœnæ concessa maximè: quomodo in secunda parte de Calice eadem monstrabitur: Ita se miserum istud genus hominum passim confundit, & ridendum prostituit: Dignum sanè risu & odio omnium hominum, quia Christum Seruatorem vnicum, ista Mysterij huius prophanatione, ridendum quasi & explodendum toti mundo prostituit.

LXXXVI.

Quis enim nisi stultitiam interpretabitur Christo (sit venia & fas dicto) si panis & vinum ad memoriam mortis Christi celebrandam sufficit, quòd ille verbis hisce, Hoc est corpus meum, &c. Hic est sanguis meus, &c. actionem istam interspersam voluit?

LXXXVII.

Quorsum ista Theologia, si veram illam esse statuamus, expedit? scire nimirum, quod panis corpus Domini adumbret? Num fidei? an charitati? vtrum spei roborandæ id conducet: Siq; istud ignorem maximè (posito quod ita sit) quid incommodi patiar, siue panem figuram corporis Christi seu vulgarem panem statuam?

LXXXVIII.

Taceo absurditatem in representatione earum rerum, quibus nihil prorsus, vt dixi, similitudinis intercedit. An qui hæc & similia cogitabit, non desipuisse Christum arbitrabitur, qui se nugis istis isto tempore fatigauerit, & nobis non nisi fucum splendidis vanitatibus fecerit?

LXXXIX.

Concluditur ergo, quamuis Oecolampadium Cinglio in omnibus alijs erroribus consentire non existimetur, in hac tamen controuersia nihilo ipsum Cinglio meliorem, nec errori ipsius plus inesse speciei aut firmamenti, quàm insit Cingliano, excepto eo, quod cum Cinglius errorem suum non nisi ex suo cerebro hauserit, Oecolampadius deprauati eius loci occasione, qui apud Tertullianum de figura corporis extat, ipse sibi imposuisse videtur. Et hæc quidem de errore Oecolampadij in genere. Iam specialia videamus.

Verba institutionis negat esse perspicua, Quia corpus Christi non sit in Cæna visibiliter, & fideles tantum ista verba capiant.

Nulla species veri est in consequente.

1. Urgetur istud consequens *πρὸ ἀδυνατίω*. Si enim non clarum est in Scripturis, nisi quod oculis cernitur, nullum fidei Christianæ caput aut articulus erit perspicuus. Non erunt clara & perspicua illa Mosis verba, In principio creavit Deus cælum ac terram. Nam nec Deus, nec creatio cernitur.

2. Retorquetur argumentum. Non erit etiam clara & perspicua Oecolampadij sententia, quod tantum panis & vinum sint in cæna. Nam quod nihil istic sit ulterius, ne id quidem oculis cernitur.

3. Explicatur perspicuitas. Verba enim sunt trita atq; nota, ut quisquis vel Iudæus, vel Turca, vel gentilis ista audiat, sensum mox percipiat. Quod vel inde patet, quia Christum Deum nostrum à nobis deorari isti blasphemant.

4. In antecedente, Quod pij capiunt tantum verba Dei, impij repudiant, id non vel ex obscuritate, vel perspicuitate verborum; Sed à spiritu, corda hominum illustrante, proficiscitur.

2. Cæna Christi Sacramentum est, Igitur Verba eius Sacramentaliter, hoc est, figuratè accipienda sunt.

Maiori addita, negotium fiet planius. Ut igitur sit *ἐπισημογενεια* terminorum, maior sic formetur, necesse est.

Sacramentorum verba sunt Sacramentaliter accipienda.

Sic prorsus negabitur maior: Neq; enim cuiquam orthodoxo nota est hæc regula. Sic autem vulgatus habet canon: Sacramenta sunt Sacramentaliter accipienda.

Huic axiomati si Oecolampadius enthymema suum subnectat:

1. *πλεονξία* laborabit conclusio.

2. Est *ἀγνοια ἐλέγχου*. Mutatur enim forma prædicationis in

ἐξηγήσει

T E R T I U S.

Ἐν ἧσει illa, cum figuratum pro Sacramentali ponitur. Quia duo non sunt synonyma.

3. *Abducitur εἰς ἀδύνατον.* Si valet regula, cur in duabus tantum vocibus *E s t*, & *C o r p u s*: non omnibus valeat? Ergo omnia sumantur Tropice, Accipite pro Audite, Edite pro Credite, Facite pro Cogitate, Recordationem Pro Imagine Cru. ihxi poni dicamus.

4. *ἄτοπον.* Hac ratione nullum Deus Sacramentum posset instituere. Qua enim ratione de isto negotio loquatur, si aliter semper intelligenda sint ipsius verba quam sonant?

5. *ἕνθεσις & inductio.* Verba Sacramenti paschalis omnia fuerunt propria: omnia figuratum veteris testamenti verba fuerunt propria.

6. *ἑναντιον.* Imò inuersa hinc regula ista opus est: De Sacramentis & figuris nisi proprio sermone & simplicibus verbis non potest haberi oratio; vt quemadmodum Sacramenta ipsa Sacramentaliter: sic verba Sacramentorum non nisi proprie ac simpliciter accipienda sint. Quod exemplis omnium reliquorum Sacramentorum manifestum est. Agnus, præputium, aqua, figuratam dictionem non admittunt.

7. *ὑπόνοια.* Suspicio est eò tendere Satanam, vt quemadmodum in hoc Sacramento, sic articulo de persona Christi infidias struat, & cum Christus Deus & homo dicatur, tandem nescio quid in hoc etiam Mysterio moliatur.

8. Error est *περὶ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως*: A sacramento argumentatur ad Sacramentale. Differunt autem Actio sacramenti & Verba sacramenti. Sacramenti actio semper quidem signum rei cuiuspiam alterius: Agnus Paschalis figurabat Christum: Circumcisio notabat veteris Adami mortificationem: baptismus signat peccatorum suffocationem. Et sic sacramentaliter sacramenta accipiuntur, vt explicatio ipsorum fieri prorsus sine aliqua figura nequeat. Sed verborum interim simplex est proprietates. Perperam ergò Oecolampadius ex figura rei, facit figuram sermonis, Res est figurans. Ergo verba de rebus figurantibus sunt etiam figurata: vt nouam *ἀλλοίωσιν* Cinglij introducat.

Quod.

Quod Lutherus dixerat, corpus Christi esse, ubi Deus esset, id explodit Oecolampadius hac ratione: Quia sic corpus Christi coeli terræq; globo nihilo minus, imò immensum, ac proinde falsum atq; imaginarium futurum esset.

1. Negatur consequentia rationibus 1. Nam ne Deus quidem aut Diuinitas quantitate globum cœli terræq; æquat.

2. Contradictoria debent fieri ad idem, secundum idem, circa idem. In cœlo esse & in cœna esse non secundum idem dicuntur. Igitur.

3. Non erant contradictoria Luc. 24. Quod & cum discipulis Christus erat: & tamen se cum ipsis esse negabat.

2. Exemplis arguitur. 1. Vnius solaris corporis in lacu in quam plurimorum oculos resplendentis. 2. Columnæ in area positæ à diuersissimis hominibus pariter conspectæ. 3. Aciei oculorum, quæ vno momento amplissimam horizontis aream penetrat, quæ miracula homini cæco incredibilia videntur, Quod si ista fiunt in oculo, corporeo ac mortali membro: quæ temeritas est, corpori Christi cum Diuinitate personaliter vnito, tam angustas meras velle constituere?

Singula persequi longum est. Enuntiatis nonnulla complectamur.

1. Christo per clausas fores intrante, penetrationem corporum esse factam, id est, duo corpora vno & eodem loco fuisse.

2. Christum à Stephano Act. 7. corporaliter visum fuisse.

3. Christum dum in terris esset, corpore suo etiam in cœlis fuisse.

4. Vt Christus adoretur in spiritu, & corpus eius sit in cœna, fieri posse.

Oecolampadius negat.

Lutherus hæc omnia verissima esse pronunciat.

Subiungit huic tractationi Lutherus breuem de Svvencfeldij furore appendicem. Is sic habebat. Verba institutionis ille

T E R T I V S.

ille bifariam corrumpebat. 1. Materialiter, facta transpositione, Corpus meum, quod pro vobis traditur, est hoc. 2. Formaliter addita hac interpretatione, subintelligendum, Spiritualis esca. Addita hac regula: Verba institutionis ex oculis esse seponenda: tum ad spiritus contemplationem totum negotium esse reuocandum. Hunc esse legitimum in ista causa progressum, & primum fundamentum.

2. Totam Scripturam de impanato Deo (sic enim loquitur monstrum) nihil agere. Non vetus testamentum, ad quod Ioan: 5. à Christo remittamur. Nouo testamento haberi de aduentu Christi in carnem, non in panem.

3. Impanationem pugnare cum fide, cuius obiectum sit spirituale, cum panis sit obiectum corporale.

4. Pugnare eandem cum natura Verbi. Verbum autem appellat non id quod prædicatur: sed æternam Dei veritatem, quæ pani & creaturis non alligetur.

5. Pugnare cum sacerdotio & regno Christi, qui vbiq; est, Rex sit & sacerdos: qualis esse in panis creatura non possit.

6. Repugnare gloriæ Christi, quæ hæc sit, quod in cælis est.

7. Verbis institutionis nihil inesse mandati ad impanandum Deum.

X C I X.

Lutherus nouationis huius monstrosæ tres isti spiritui fuisse causas ait:

1. Diuinam. Mirabili enim consilio fit, vt dispersis linguis inter se, nouatores isti, Cinglius, Carolstadius, Oecolampadius, Svvenckfeldius, (quibus in diuersa dictione, sensus idem, & mens eadem est) palam confundantur.

2. Humanam. Ne quid enim cum alijs commune habere videatur, ambitione ducitur, vt nouum ac singulare aliquid monstri excogitet.

3. Diabolicam. Sic enim verba Christi & Apostolorum tractat, quasi nihil ipsis vel consilij, vel mentis vndequaue fuerit.

C.

Corollarij loco de Prædicatione Identica Lutherus in-

N

vayms

L I B E R

καὶ attexit. De hac olim cum Scholasticis Viclepho certamen fuit: in quo plus longè momenti fuit, quàm in omnibus Sacramentariorum labyrinthis. Nam rationi nihil magis aduersatur, quàm vt diuersæ substantiæ de se inuicem prædicentur, vt identica fiat prædicatio. Species enim rerum ita sunt distinctæ, vt quælibet eo ipso, quod est, aliud esse nequeat. Si hinc ergo Sacramentarij causæ suæ patrocinium quæsiuissent, speciosi sanè quiddam inuenissent.

CI.

Hic scrupulus tantus fuit partibus, quas dixi: vt neutra in præsentî negotio, pede inoffenso processerit. Ratum vtriusq; hoc fuit: Prædicationem identicam non habere locum. Quia ergo de pane (qui peculiarem speciem habet) corpus Christi prædicetur (quod sit specie diuersissimum) hûc deuentum fuit, vt Scholastici particula, *H o c*, merum corpus Christi: Viclephus, merum panem monstrari dixerit, hoc est, illi speciem panis: hic corpus Christi ex S. Cœna sustulerit.

CII.

Lutherus neutri parti vniuersim astipulans: media via progreditur, & ex duobus corruptis vnum integrum faciens, cum Viclepho panem, cum Pontificijs, Corpus Christi in cœna retinendum statuit: in his damnata interim *μετρίᾳ* in illo *ἁπλοῦς* corporis Christi: & quàm nihil à prædicatione Identica sit incommodi, præclaris rationibus demonstrat, præmissis duobus in hoc negotio summè necessarijs *ἀπαραίτητοι*.

CIII.

Præter hoc est: In religionis mysterijs & fidei capitibus, rationis humanæ imperio & dictatui prorsus esse iniiciendas compedes.

CIV.

Alterum: Verbo reuelato in isto rerum genere *cæca* quasi obedientia & assensu fidem esse habendam. Quod vtrumq; vel maxime in S. Cœnæ negotio faciendum sit.

CV.

Positis his, quod diuersarum rerum & substantiarum facta de se inuicem prædicatio non sit à Scripturis aliena, his exemplis docet.

In Sa-

T E R T I U S

1. In Sacro sancta Trinitate, personæ sunt tres: de quālibet tamen harum prædicatur, quod sit Deus. Vnitas igitur naturæ facit, vt tres personæ differentes vnum sint. Quæ vnio essentialis siue naturalis est.

2. Digo Filium Mariæ demonstro, & quod hic filius Mariæ sit ipsissimus Filius Dei, rectè ac piè assero. Hic neutram in Christo naturam aboleri necesse est, vt vera sit prædicatio, quemadmodum Scholastici & Viclephus in cœnæ negotio statuerunt: sed manente vtraq; Deum hominem, hominem Deum esse pronuntio. Hæc igitur duo ita vnum fiunt, vt de vno alterum prædicari queat. Vnio verò ista non fit per essentialiam aut naturam, vt essentialis aut naturalis sit: sed est personalis.

3. Psal. 104. dicitur de Deo; quod faciat angelos suos flammæ ignis. Angelum enim in sua natura videre potest nemo: sed in flamma saltem & claritate sua. Certè diuersæ species sunt angelus & flamma ignis. Hæc tamen vnum fiunt *οικονομικῶς* siue *ἰεραρχικῶς*.

4. Spiritus sanctus super Christo in specie columbæ apparuit. Qui columbam vidit, vidit & Spiritum sanctum. Vnum igitur isti duo fuerunt; non naturaliter tamen vnum, non personaliter. Formalem fortè aliquis istam vnionem appellaue- rit, quia forma ista Spiritus sanctus apparuit.

Cum hoc ergo tam diuersis modis fiat, vt quæ vniantur diuersissima, de se tamen inuicem prædicentur: quid prohibeat, quo minus in Sacramento cœnæ simile quippiam fieri possit? facta duarum diuersarum specierum vnione, non naturali, non personali, non œconomica, aut formali, vt in exemplis est monstratum: sed quam rectè appellare possumus Sacramentalem.

C V I.

Rectè ergo & verè propter hanc vnionem dicitur, cum Pane monstrato, hoc esse corpus Domini dicitur: cum isto viso, hoc ipsum cerni: tacto illo, corpus Christi tangi: masticato pane, hoc itidem masticari perhibetur. Et verum tamen interim ratumq; illud manet, quod nemo corpus Christi cernat, tangat, dentibus conterat: tametsi quod Pani sit, rectè verèq; corpori Christi propter vnionem Sacramentalem, tribuatur ut certissimum.

N

Nota

L I B E R

Nota.

Impudens est Sacramentariorum quorundam mendacium Luthero impingentium, quod corpus Christi Per se & propriè conteri dentibus docuerit, verbis istis Verè ac rectè, in duo illa Per se ac propriè commutatis. Hic est nimirum ipsorum in allegandis Scriptorum dictis candor & fides. Ecquis verò quantum inter ista sit discriminis, non intelligit? Qui ita bardus est, vt hoc non intelligat, cum rectè vereq; asinum appellauerim. An verò per se ac propriè asinum istum à me dictum esse quispiam arguabitur?

CVII.

Malè ergò fit à Sacramentarijs, quod & à Glossatore Iuris Canonici factum est, quod Nicolai Papæ factum reprehenditur, qui Berengarium adegit, vt corpus Christi in cœna dentibus teri confessus sit.

CVIII.

Ita enim res omninò habet, qui panem istum benedictum comedit & masticat: is id comedit & masticat, quod est verum ipsum atq; essenziale corpus Domini: non autem metum aut nudum panem, quod Viclephus asseruit.

CIX.

Sed nec cum ipsa Grammatica modus iste loquendi nihil congruit. Sic enim videmus fieri, vt cum duæ diuersæ res in vnam massam coeunt, vulgata loquendi ratio singulas non seorsim: sed vtrumq; vno dicto enuntiet, non natura cuiusque seorsim, sed vnione vtriusq; coniunctim considerata.

CX.

Spiritus sanctus & columba in vnum coierunt. Igitur columbam Spiritum sanctum esse prædico. Sic Panem & corpus Christi in vnum coijisse audio. De se ergò inuicem ista prædicari arguo.

CXI.

Neq; vana sanè ista est enunciatio. Nam sic coeuntibus in vnum duabus diuersis essentijs, ex combinatione ista quasi nouum aliquid ac tertium quiddam fit, quod neque hoc, neq; illud est seorsim, sed vtrumq; simul. Propter quam combinationem haud immeritò nouam prædicationem id acquirit.

In scho-

T E R T I U S.

CXII.

In Scholis Synecdochica appellatur istiusmodi prædicatio, quæ est non Scripturis tantum: sed linguis omnibus usitata, ut cum vase in quo vinum est Renense, præbito, hoc esse vinum Renense: marsupio, in quo centum sunt floreni, porrecto, hoc esse pecuniam illam centum florenorum inquit.

CXIII.

Quod si quis in tali facto diceret, Vas monstras, & vinum dari dicis: Corium exhibes, & pecuniam exolui ais: Vas est lignum, non vinum est: marsupium non pecunia, sed corium est: hunc vel pueri ipsi desipere existimarent. Solueret enim id, quod combinatum est, & de singulis verba faceret, dum in eo nos versaremur loquendi genere, quo combinatum aliquid enuntiari solet. Vas enim illud non amplius vulgare aut commune lignum est: sed lignum, ut ita loquar, quasi vinosum: marsupium non vulgare aut nudum corium est: sed est corium pecuniosum. Quod si verò solvere unionem istam velis & seorsim considerare istas diuersas partes: tum sanè quælibet species id, quod est, rectè esse dicitur.

CXIII.

Quæ cum in vulgari sermone locum habeant: quis absurdum putet, facta, in Mysterio cænæ panis & corporis Christi unione mystica, hoc est, sacramentali, si simile in prædicatione quippiam fiat. Quod si species istic etiam, de specie inuicem prædicetur: exemplis & ratione, istud quidem etiam, ut dictum est, non carebit. Hactenus partis primæ tractatio.

Nota.

Observatum dignum est, quod pia ista atq; orthodoxa declaratione de prædicatione identica, & Unione Sacramentali Bucerus se tandem permotum esse scripsit, ut in Lutheri sententiam concesserit. Nam cum antebac vereretur Bucerus, ne papisaret nonnihil Lutheri sententia: Hoc scrupulo exempto, nihil sibi reliquum esse dixit, quin propter τὸ ἐν τῷ Lutheri doctrinam, Sacramentariorum opinionibus longè prætulerit.

CXV.

Secundam partem libri Lutherus explicationi locorum Scripturæ destinat, quæ sunt huius materiæ propria. Cui tractationi ἠποδείξει hanc præmittit, quæ est de Sacramentari-

L I B E R

rum ipsorum, quod causæ nostræ perhibent, testimonio, Fa-
tentur ipsi, sententiam nostrā verbis Christi congruere. Quod
si τὸ ἐπιτόν istorum tenendum sit, sententiæ nostræ palmam om-
ninò tribuendam esse. Verum illi in hoc negotio non τὸ ἐπιτόν
insistendum: sed δίανοιαν esse eruendam dicunt.

CXVI.

In hoc testimonio, ab ipsis aduersarijs profectò, magna
sunt causæ nostræ posita præsidia, eaq; varia:

1. Sensus illius, siue intellectus, quo verba Christi accipi-
mus, non vlla nobis vltior incumbit probatio: sed nudis
duntaxat verbis, vt sonant, vt iacent, vt posita sunt à Christo,
recitatis opus est.

2. Iam isti contrā duplici debito se obstringunt. 1. De
probationibus laborandum ipsis est, quibus τὸ ἐπιτόν hîc non ef-
se retinendum demonstrant. 2. Pro textu isto & verbis Chri-
sti, alia tenentur substituere, quibus tutò ac firmiter insiti
queat. De quo præstando huc vsq; ne cogitatum quidem ab
ipsis semel est, vt hoc ipso ad perseuerandum, in priori senten-
tia ipsi nobis suasores autoresq; sint.

3. Accedit, quod verba ista, Hoc est corpus meum, non
ab hominibus, sed ab ipso Filio Dei formaliter, vti habent,
profecta sunt.

4. Iam monstratum est, quàm inualidè singuli isti δίανοιαν
suam illam δίανοιαν, quam verbis Christi affingunt, compro-
bent.

5. Omnes istos sententijs etiam contrarios sibi esse inui-
cem constat, quorum nihil in approbatione τὸ ἐπιτόν fieri ne po-
test quidem.

6. Posito maximè textum nostrum & interpretationem
incertam & obscuram esse (quæ non est) non minus quàm
istorum est δίανοια: quantam, quæso pro istis in nostra senten-
tia prærogatiuam habes.

Age, inquit, quando ita comparatum est, vt incertum
textum & sensum habere cogar, malo habere eum, qui ex di-
uino Christi ore profectus, quàm qui ab hominibus excogita-
tus est: & si decipiendus aut seducendus sum, à Christo (si id
fieri vilo modo queat) decipi & seduci, quàm ab hominibus
malo.

T E R T I V S.

malò. Proinde mera cum πληροφορία sic Christo cum in mortis agone, tum in nouissimo etiam iudicio respondere poteris, **A L M E C H R I S T E**, lis in terris agitata fuit de verbis cœnæ tuæ Eucharisticæ. Quidam διάνοιαν verbis addiderunt; quam quia firmiter comprobare non potuerunt, tuorum verborum ἐν τῷ ego institi. Si quid obscuri inest verbis tuis, tu id tale esse voluisti. Fuerunt etiam obscura verba, quæ matri tuæ dixeras, Luc. 2. Oportet me esse in his quæ sunt patris mei: illa tamen simpliciter verba illa in corde suo retinuit. Sic ego in simplicissima τῆ ἐν τῷ verborum tuorum sententia permansi: neq; me ab istis abduci passus sum, &c. Tali πληροφορίᾳ vti coram tribunali Christi nemo Sacramentarius poterit.

CXVII.

Refutata Cinglij σημασία & Oecolampadij figuratione, equidem vltro euincimus, quotquot in scripturis de hac materia loca extant, nobis patrocinari. Veruntamen vt istis excusis singulis, magis in veritatis amore noster confirmetur animus, singula enumeremus. Quorum primus est Matthæi 26. v. 26. 27. 28.

1. Expressè ponitur in verbis, non, **S I G N I F I C A T**; sed **E S T**.

2. Non ponitur, **F I G V R A** corporis: sed **C O R P V S**.

3. Simplicius nostra sententia verbis explicari nullis poterat. Finge dictum fuisse à Christo, In pane est Corpus meum, quod dicendum fuisse Sacramentarij autumant, si sententia nostra valitura sit: Christe bone, quas non tum absurditates verbis istis opposuissent? quas non argutias effudissent? Quamcunq; aliam verborum formam vsurpasset Christus, parata fanaticis in omnem partem fuissent effugia.

CXVIII.

Altera Marci est descriptio cap. 14. v. 22. 23. 24. In cuius parte altera, quia habetur, bibisse omnes prius, quàm à Christo dictum fuerat, Hic est sanguis meus: hinc Carolstadius nugarum suarum περί τῆ τῆτο occasionem hausit. At refutatur.

1. Ipsius Marci verbis, in parte altera descriptionis.

2. Aliorum Euangelistarum & Pauli verbis, vt vnus iste locus alijs omnibus præiudicare nihil debet.

ἀπείρη

L I B E R

3. ἀπολα καὶ εὐχαρισμῶν. Cum solus Marcus ita habeat, & eo ipso loco habeat, quo à Matthæo posita sunt verba, εἶπε ἕξ αὐτῶ πάντας : videri posse, quasi textus in Marco facta sit mutatio, & pro πίετε, positum ἐπιον.

4. Vterq; autem Euangelista eo consilio posuisse verba ista videtur, ut hunc calicem in præsentis negotio communem discipulis omnibus fuisse ostenderet. Panem enim distribuere ipse Christus potuit. Vinum autem partiri, res non passa fuit. Hoc ergo nouo ritu, Cœnam istam nouam, à veteris paschatis conuiuio distinguere Christus quàm accuratissime voluit. In illo, edere aut bibere nemo iussus fuit, excepto eo, quod de calice valedictionis Lucas annotauit. In hac actione verò ut ritibus, ita præscripto mandatorum omnia exacte definita fuerunt.

5. Conuenit ergo per omnia istis 2. Euangelistis, ita ut iisdem penè etiam verbis vtantur: excepto eo, quod Matthæus de remissione peccatorum addit. Marcus verbo εὐλογήσας vtitur, pro quo cæteri εὐχαρισήσας posuerunt.

6. Quod ergo Euangelistæ omnes vna & eadem forma verborum vtuntur in hoc loco, Hoc est corpus meum: id profectò, argumento luculento est, verba ista figuratè non accipienda esse. Alioquin futurum vix fuisset, quin vel vnus aliquis διάνοιαν illam proposuisset: quod in alijs locis factitatum ab ipsis fuisse, non est obscurum. In ore duorum consistit verum.

Matth. 12. Hic 4. testes sunt, in re vna testantes consonantissimè. Fides
Luc. 11. ergo ipsis minimè detrectanda est.

CXIX.

Tertia Lucæ est descriptio cap. 22. v. 19. 20. quæ vel sola docili cuiuis καὶ φιλαληθείῃ sufficere queat.

1. Poculo valedictionis præbito, testis est Lucas, dixisse Christum, postremum hunc ex genimine vitis haustum fore, qui sibi cum discipulis cõmunis sit futurus. Quia verò mox calicem cœnæ ijsc̄em ipsis præbuit: ut vinum hic nudum aut vulgare fuerit, fieri non potuit: sed id, quod esse dixit, nempe Sanguis eius. Nec obstat, quod alio ordine in prioribus euangelistis pars hæc historiæ descripta est, quam à Luca; quem ordinis in scribendo obseruantissimum fuisse, & promissio docet, & res ipsa demonstrat. Habet

T E R T I U S.

2. Habet Lucas id, quod & Paulus habet, Quod pro vobis datur, quæ verba priores duo Euangelistæ non habent. Hinc Carolstadius cauillandi ansam sumit. De præsentî actû, inquit, mentio fit. At quia neq; tum corpus ipsius pro nobis tradebatur, neq; nunc traditur: de corpore Christi verba non posse accipi. At suæ ipsius sententiæ de sedente Christi corpore hoc idem obijci posse, homo fanaticus non intelligit.

3. Tertium est apud Lucam, quod de Calice habet, Hoc Poculum est nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis funditur.

Mirè à fanaticis distorta sunt hæc verba. Quæ tricæ expediendæ sunt.

CXX.

Solus Lucas & Paulus ponunt hæc verba, Facite hoc in mei commemorationem: idq; ambo faciunt, in prima tantum descriptionis parte: Quod tamen de tota actione accipiendum esse Paulus docet, Quoties de Pane isto comederitis, aut de Poculo isto biberitis, mortem Domini annunciabitis, Quibus verbis vsus cœnæ præclarè describitur.

CXXI.

Vt verborum Lucæ alia sit mens, quàm verborum Matthæi & Marci, fieri prorsus nequit. Si ergò sic accipiantur verba Lucæ, Quod in Calice præbeatur nobis sanguis Christi in nouum testamentum, nihil alienum à mente Lucæ dixerimus.

2. Hebraismo autem vsus est Lucas, eoq; duplici. 1. In præpositione, cuius vsus apud Ebræos est varius 2. In traiectione partium prædicati, antecedentis & consequentis. Quomodocunq; sit, cum figurata prædicatio ad simplicem reducenda, non hæc ad illius modum inflectenda sit: sic accipienda sunt verba, vt cum vtriusq; præcedentis Euangelistæ verbis congruant, esse sanguinem Christi, qui sit sanguis noui testamenti.

3. Illud verò, quod Lucas particulam *το* cum *ποτηρίω* coniungit, traiectionem illam Carolstadij & Syvenkfeldij glossam in priori parte cœnæ, præclarè refellit.

4. Oecolampadij figuram Lucas itidem ad Garamanthas remittit. Si enim valeret ista, Calix testamentum foret in figura

O

gura

L I B E R

figura sanguinis Christi, hoc est, in vino. Quod totum absurditate plenum est.

5. Sin calicem figuram aut signum noui testamenti in sanguine esse dixerit: præterquam quod tropum ex sanguine ad testamentum perperam referet: veteris testamenti umbras, ex nouo testamento faciet, nisi idem testamentum nouum, sui ipsius etiam figuram statuatur.

6. Quæ ipsa quoq; ratio ad σημάδιον Cinglij etiam refutanda sufficit. Nam si calix significatiuus est noui testamenti, quid ab agni paschalis & sacrificiorum sanguine, Christi sanguis discrepabit?

CXXII.

Vnum quiddam Lucas habet peculiare, quod poculo verbum effusionis tribuit, τὸ ἐκχυνόμενον. Cui verbo si quis eum vult tribuere sensum, vt distributionem in mensa significet, sicq; verbo frangendi in priori parte exaduerso correspondeat; non repugnauero. Maximè cum ad hunc sensum veteres quidam scriptores alludere etiam visi sint.

2. Aut verò dicendum est, quod continenti contenti proprietates, propter vnionem Sacramentalem, assignata sit.

CXXIII.

Quarta & vltima Pauli est descriptio 1. Cor. 11. v. 23. & sequentibus.

1. Si Erasmo creditur, verbum ἑσθαρτικὸν in Græcis codicibus non omnibus extat. Hoc ergo eliso, continua sic habebit oratio, Accipite, edite hoc corpus meum, quod pro vobis traditur. Sic planè apud Paulum frigide stabunt, Cinglius & Carolstadius, ille cum suo significat: hic cum suo τῷτο.

2. Debentur autem Paulo & Lucæ gratiæ, qui mandatum Christi de Mysterio isto celebrando expresserunt: Seorsim verò Paulo maximæ, qui vniuersale illud esse mandatum monuit, nequis vel citra mandatum prorsus, vel saltem citra omnes concernens mandatum, Coenam in Ecclesia celebrari obijcere possit.

3. Pronomini τῷτο proximè Apostolus ad latus adiungit, pronomen Mè Meum. Certum est quidem, quod ἀντίθετος sic fiat inter agni paschalis, & suum corpus. Sed quin hoc nexu
vocabulary

T E R T I U S.

vocabulorum, arctissimam & certissimam symboli & corporis sui unionem notare etiam voluerit, nihil mihi dubium est.

4. In frangendi verbo Scriptura Sacramentariorum interpretationi planè aduerfatur. 2. Tollitur etiam figuræ ratio & analogia, quam panis cum corpore Christi habere debeat, nisi fractionem pro distributione intelligant.

5. Iam in altera parte perinde verba collocat, quasi & calicem & nouum testamentum à parte subiecti velit positum. Id rursus Sacramentarijs ex diametro repugnat. Si calicem figuram testamenti appellauerint: iam supra est responsum huic ineptiæ. 2. Et quo respectu quæso istud fuerit? Materiæ, aut formæ? neutrum: Sic enim quiuis calix testamenti signum foret. Dicent ergo respectu contenti, propter vinum. Accipio responsum. Sed duo vicissim regero. 1. Erit igitur talis inter calicem & vinum, species disparatas, unio, vt, vna pro altera poni possit: & non possit calicis aut vini tam arcta esse cum sanguine Christi, panis cum corpore, unio, vt vnum de altero prædicari queat? Deinde cum testamentum nouum sit ipsum Euangelium, remissio peccatorum & gratia Spiritus sancti: quæ erit calici & vino cum isto figurato similitudo? Sic isti & sanguinem Christi & figuram etiam eius prorsus è cœna sua deperdunt.

CXXIV.

Summa, Euangelistæ tres & Apostolus stant, vt sic loquar, pro vno viro aduersus Tropistas, bini binis semper coniuncti. Si in Matthæo & Marco Sanguini Tropum affingunt: Lucas & Paulus hoc expressè improbant, imò ipsi etiam Tropistæ cum his id coarguunt. Sin in Luca & Paulo tropum nouo testamento obtrudere tentant: à Matthæo & Marco prohibentur, in quibus ipsorum etiam Tropistarum consensu, verbo isti Tropus imponi nullo modo potest. Sic verborum Christi simplicitas, victoriam in hoc bello Sacramentario præclare obtinet.

CXXV.

Faceffant igitur qui præsentiam corporis in cœna ideò negant, quia miraculum hîc non agnoscunt, nulla ratione magis, quàm quia id non sit visibile.

O

2

Non

L I B E R

C X X V I.

Non sunt pauca ex miraculis præcipuis, quæ nunquam sub sensum oculorum cadunt, sed sunt soli fidei conspicua.

C X X V I I.

Et hoc ipso mysterium cœnæ miraculosum est, quia res cœlestes, quæ ibi exhibentur, nunquam sub aspectum veniunt, quarum tamen præsentiam fides ex verbo rectissimè persentiscit.

C X X V I I I.

Et toti etiam absurdi esse ex verbis cœnæ deprehenduntur illi, qui remissionem peccatorum à cœna prorsus segregant. Atqui in sanguine Christi, qui ibi tum præbetur, nouum Testamentum, id est, quorumuis bonorum spiritualium abundantia esse dicitur, quæ verbo Euangelij omnibus credentibus promittitur.

C X X I X.

Quo in loco aurea catena conspicitur. Verbum primas tenet. Nam sine verbo & Panis & Calix nil conduceret. Absq; pane & vino, corpus & sanguis Christi non forent præsentia. Sine his, non adesset nouum testamentum: nec sine hoc remissio peccatorum, aut vita deniq; aut salus etiam.

Verbo igitur primum Panis & calix apprehenditur: his duobus, corpus & sanguis Christi adiungitur: istis succedit nouum testamentum: hoc remissionem peccatorum completitur, quam vita tandem æterna & beatitudo sequitur.

C X X X.

Porrò sic scribit Apostolus, Quotiescunq; de pane isto comederitis, & de poculo isto biberitis, mortem Domini annunciabitis.

1. Explicatio calicis notabitur. Nam ne de substantia calicis intelligatur, ex eo potationem fieri præcipit. Ita propter vnionem, quod vni proprium est, alteri ex combinatis, hîc quoq; tribuitur.

2. Hic iubilant fanatici: quia panis, non corporis: calicis, non vini nomen ponit Apostolus, in eo causæ suæ præsidium collocatum iactitant.

C X X X I.

At num

T E R T I V S.

At num & calicem fanatici bibent, cum hac phrasi Aposto-
lus utatur? Si id non sequitur, ut calicem bibant: sed pro cali-
ce vinum intelligunt, quia id calici coniunctum est: cur nudum
panem presentem esse sequatur, non etiam corpus ipsum Do-
mini, cum de panis manducatione Apostolus loquitur?

2. Sed nec corporis signum, aut sanguinis figuram edere
ac bibere Apostolus præcipit. Quod si hoc non obstante, si-
gnum illi tamen istinc eliciunt: cur nobis presentiam corpo-
ris, prætextu verborum istorum, excludunt?

3. Ex puris negatiuis procedit hæc argumentatio.

4. Petulantiam respicit. Quo loco corporis vocabulum
expressum est, sicco pede id transfiliunt. Vbi id expressum non
est, improbè requirunt.

5. Atqui particula *δεικτικῆ* notanda ipsis fuerat. Non enim
simpliciter de pane aut calice Apostolus loquitur, sed addit
ταυτον χυῖ ταςτο, quasi digito remittens ad præcedentem descri-
ptionem, quæ his verbis coniungenda erat.

CXXXII.

Attexit præterea Apostolus, Quisquis indignè panem
istum comedit, aut de poculo Domini bibit: reus erit corpo-
ris & sanguinis Domini.

1. Quamuis iterum hîc dicat panem & poculum: tamen
rursus verbo *δεικτικῆ* ad præcedentia nos remittit.

2. Nodum Gordium fanaticis opponit, inquiens, Reus
erit corporis & sanguinis Domini: non panis, aut figuræ cor-
poris.

CXXXIII.

Carolstadius hoc indignæ considerationi mortis Domini
tribuit. At Pauli verbis apertè refellitur, quibus *αταξια* tan-
tùm in Corinthijs reprehenditur.

CXXXIIII.

Oecolampadius id ad Sacramentum refert, & quia Pa-
nis sit symbolum corporis Christi & figura: qui hunc indignè
tractet, reum fieri corporis Christi, sicut imaginis Cæsareæ,
aut insignium violator, læsæ maiestatis reus peragatur.

CXXXV.

1. At symbola primùm non sunt figuræ aut imagines re-
rum istarum cœlestium.

2. Ista glossa scripturæ fundamento nullo nititur.
3. Tum demum procedit, ubi in Cœna præter symbola nihil esse euictum est.
4. Si hoc loco corpus & sanguis Domini figuratè non significant, id quod ipsi etiam placet Oecolampadio: Tropum in præcedentibus habere nulla ratione possunt.
5. Non dicitur indignè manducans, Reus esse læsæ diuinæ maiestatis: sed expresse dicit, reatum committi in corpore & sanguine Domini.

CXXXVI.

Sequitur in Paulo, Probet autem homo seipsum, & sic edat de pane, & bibat de poculo. Hic non additur quidem particula demonstratiua. Sed eadem iam aliquoties satis repetita fuerat. De alio ergo pane facere Apostolus verba non poterat, quàm de quo hætenus.

1. Cor. 4.
Rom. 14.

CXXXVII.

Concludit Apostolus, Qui indignè edit & bibit, edit & bibit sibi ipsi iudicium, non dijudicans corpus Domini. *Διέκρισην* Carolstadius ad commemorationem mortis Domini: Oecolampadius ad honorem figurantium symbolorum refert. Nos dijudicationem seu discretionem intelligimus, qua vnum ab alio secernitur: partim quia & Scripturis est hæc significatio *ἀνάλογον*: partim historiæ consentanea, in qua cœnam Domini pro vulgari quasi conuiuio à Corinthijs fuisse habitam inuitur.

CXXXVIII.

Extrat apud Paulum vnus adhuc huius materiæ locus proprius 1. Cor. 10. Poculum benedictionis, cui benedicimus, an non est communicatio sanguinis Christi? Panis quem frangimus, an non est communicatio corporis Christi: Hunc locum Lutherus gaudium & coronam sui pectoris appellat. Ex eo sic primum colligit: Si Oecolampadij opinio valet: sic sonabit iste textus, Panis, quem frangimus, est communicatio figuræ corporis Christi. Et sic de calice. Atqui figura seu signum corporis est panis in cœna symbolicus. Perinde ergo sonabit propositio, ac si dictum fuisset, Panis est communicatio panis.

Sin

T E R T I V S.

CXXXIX.

Sin signum communicationis, panem esse dixerit: longè absurdiori enuntiationi, quàm hæc ipsa est, quam posui, sese implicabit. Nisi corporis Christi vocabulum sine tropo capiat hoc loco: quo facto, quin similiter alibi sumendum sit, ratio monstrari nulla ab ipso poterit. Similes absurditates Cinglio etiam possunt obijci.

CXL.

Panem dicit Apostolus communicationem esse corporis Christi: non fidem. Ergo quotquot pane communicant (communicant autem digni & indigni) corpore etiam Domini participant.

CXLI.

Panem dicit esse communicationem. Panis autem vsus corporalis est, & vulgaris. Ergo non spiritualis, aut figurata communicatio intelligenda est: sed corporalis itidem.

CXLII.

Addit Paulus, Panem fractum esse communicationem corporis Christi. Quemadmodum igitur se habet panis fractio ad communicationem: ita communicatio se habet ad corpus. At illa corporaliter se habet. Igitur substantia corporis Christi omnes etiam communicantes fruuntur.

CXLIII.

Obijcitur, dæmoniorum communionis paulò post ab Apostolo mentionem fieri, quæ utiq; non sit corporalis, cum corporibus Dæmonia careant. Igitur nec ibi talem intelligendam.

CXLIIII.

1. A particulari fit collectio.
2. De corporali communionem cum Dæmonijs hic ipse etiam locus intelligitur. Agitur enim de idolothytis, quæ Dæmonijs sacrificari perhibet. His ipsos vesci prohibet Apostolus, & sic Dæmonijs non communicare. Quæ utiq; corporalis communicatio futura fuerat. Quod ipsum sequentia verba postulant: Non potestis bibere simul calicem Domini, & calicem Dæmoniorum. Eadem in mensis etiam *ἀντιθέσει* utitur. Quemadmodum igitur hic communicatio fiebat corporalis earum rerum, quæ Diaboli erant: ita Paulus istic similem communicationem corporis Christi fieri haud obscure innuit.

Differunt

Differunt quidem phrasæ istæ, communicare dæmonijs, & communicare mensis dæmoniorum. Prior enim personam: altera medium communicationis exprimit. Sensus tamen eodem ferè recidit, vt Paulus istis indifferenter vsus esse videri possit.

CXLVI.

Quod si de spiritali communicatione sermo esset: corporis & sanguinis distincta mentio facienda non fuisset. Non enim duplex: sed vna est spiritalis communicatio. Corporis autem communicatio, non est communicatio sanguinis: neq; hæc est illa.

CXLVII.

Haecenus de scripturæ locis, materiæ huius Sacramentariæ proprijs. Nam de Sexto Ioannis capite, quia id propriam cœnæ Dominicæ causam, quæ nobis est cum aduersarijs controuersa, non tractat, addere hoc loco nihil attinet.

Sequitur pars libri vltima.

CXLVIII.

Confessionem suam Lutherus de reliquis etiam capitibus doctrinæ Christianæ editurus: facti huius causas exponit:

1. Errorum magis magisq; inualescentium furores & foeditates.
2. Impudentiam fanaticorum, qui se etiam viuo iam iam in aliquibus Lutherum suis erroribus fauentem esse, gloriari non erubuerunt.

CXLIX.

Profitetur autem Lutherus, se eam editurum de articulis fidei confessionem quam ad vitæ vsq; finem tuiturus, de qua etiam ad tribunal Christi Scrautoris rationem redditurus sit.

CL.

Proinde si quis post obitum meum fanaticus dicturus est, Lutherus si hodiè viueret, aliter de hoc vel isto articulo sensurus esset, quem, dum viueret, non satis ponderauit: Huic ego iam nunc id respondeo, quod tum responsurus eram, & tum responsurus essem, quod nunc respondeo, Quod ex gratia Dei omnes hosce articulos quam diligentissimè expendi,
cum

T E R T I V S.

cum Scriptura libratissimè examinavi. Constat mihi quàm rectissime mens atq; animus meus. Nec ignoro, quantum mihi hoc nomine debitum incumbat rationis reddendæ coram tribunali Domini, vt meditatissime hoc ita agam negotium, vt magis seriò nunquam possim.

CONFITEOR ERGO EGO
MARTINVS LUTHERVS.

VNUM VERVM ATQVE AETERNVM DEVM in Trinitate: Trinum in vnitate, Patrem, Filium & Spiritum S. damnatis erroribus Arrij, Macedonij, Sabellij & similibus.

Solam secundam Diuinitatis personam assumpsisse humanam naturam: non corpore tantum, sed anima etiam constantem, vt nobis per omnia fieret similis Christus, excepto peccato. Hunc verò hominem, reuera Deum esse, facta ex duabus naturis vna indiuisa persona, ab ipso conceptionis momento: ita vt Maria verè *Debroras* fuerit.

Qui Filius Dei & Mariæ pro nobis passus, mortuusq; ab ira Dei & peccatis nos redemerit: collocatus autem ad dextram Dei Dominus cœli terræq;, rerumq; quæ in his sunt omnium, factus sit. Nam cum omnes ab Adamo propagati, rei simus peccati & filij iræ Dei: sic nobis omnibus incubuit corruptio & damnatio, vt si absq; Christi redemptione fuisset, omnes æternum perituri fuissēmus.

Damno igitur ac repudio omnem doctrinam, quæ humani arbitrij libertati patrociniatur, ceu gratiæ diuinæ inimicam.

Cui errori eum adiungo Pelagianicum errorem, quo peccatum Originis vel peccatum omninò, vel saltem horrenda esse corruptio negatur.

Nec meliori loco habeo, quicquid ad constituendam meritorum humanorum dignitatem, ordinum, regularum, operum, votorumue constituitur. Quæ omnia cum tantum Christi derogent merito, quantum humanis factis arrogant, pro abominationibus habenda duco, & contumelijs in redem-
P ptio-

L I B E R

ptionem à Christo plenissimè peractam. Non quin instituta monasteriorum laudem, si disciplinæ iuventutis & vsui Ecclesiæ seruiant: sed quia abusum, qui inualuit, toto animo detestor.

Ordines à Deo constituti tres sunt in Ecclesia. 1. Ecclesiasticus, qui sacris præest. 2. Politicus, qui imperia tenet mundana. 3. Oeconomicus, qui res priuatas administrat. Alios ordines Ecclesia non agnoscit.

Tertiò credo in Spiritum sanctum, qui fidem & omnia spiritualia in nobis dona excitat & accendit, sanctificat, consolatur: ita vt quemadmodum Deus pater creauit omnia & conseruat: Filius salutem amissam restaurauit: Sic Spiritus sanctus beneficia redemptionis & salutis nobis applicet. Id verò facit Spiritus sanctus bifariam. Internè per fidem & spiritualia dona: Externè per Euangelium, Baptismum & Sacramentum altaris.

Proinde sicut non est, nisi vnus Christus, vnum Euangelium: ita non est, nisi vnus Baptismus. Cuius ea vis est, vt quemadmodum Euangelium non est irritum aut falsum, etiam si improbi sint, qui id docent: ita Baptismus non sit inefficax, quamuis impia sit persona administrans, vt Donatistarum & Anabaptistarum deliria prorsus hinc etiam si improbem.

Simili modo in Sacramento altaris integrum Sacramentum, & veram corporis & sanguinis Christi præsentiam confiteor, quæ cum pane & vino oraliter manducentur & bibantur: non obstante, si vel qui administrat, vel qui communicat, impius sit. Quia non in fide vel infidelitate hominum: sed in ordinatione Dei Sacramentum consistit. Sola ea addita exceptione, Nisi institutionis Dominicæ nulla fiat observatio: Enimuerò hac non obseruata, Sacramenti veritatem non constare, nihil dubium est.

Ecclesiam Christi in terris vnã esse, quæ sit communio omnium in toto orbe credentium, cuius vnicum caput est Christus: Pastores autem & Episcopi non Domini sed ministri.

Eam verò non sub Romana tantum Ecclesia contineri vel sub Papa, sed dispersam esse in toto terrarum orbe: congregatam autem in vnitæ fidei atq; Euangelij sub vno capite Christo.

Papismum ergo verum Antichristianismum esse: ad cuius censuram

T E R T I V S

cenſum tamen Iudaismus & hæreſes etiam omnes pertineant.

In hac Eccleſia eſſe remiſſionem peccatorum : extra eandem, neq; hanc, neq; ſalutem vllam eſſe.

Quæ tamen remiſſio peccatorum non vna vice expectanda ſit, vt Nouatianorum furor voluit : ſed toties requirenda, quoties ea opus ſit ad vitæ vſq; terminum.

Indulgentias nihil eſſe niſi forum impoſturarum & blaſphemiarum in pleniffimum Chriſti meritum.

Pro mortuis, quia preces fieri Scriptura nuſquam præcipit : nihil peccati committi arbitror equidem, ſi ſemel atq; iterum pia vota ſubſequantur. Sed iterationem crebram improbo : vigilias anniuerſarias, miſſas pro defunctis, ad nundinas Diaboli referendas exiſtimo.

De purgatorio in Scripturis nihil extat : pro figmento igitur habendum eſſe perſuaſum habeo.

Eadem eſt inuocationis Sanctorum ratio.

In extrema vnctione merum ineſſe abuſum ſtatuo.

Matrimonium & ordinem inter Sacramenta referri nihil attinet : ſed nec pœnitentiam.

Binarium ergo Sacramentorũ numerum remanere ſufficit.

Inter omnes abominationes maximam eſſe, ſacrificium Miſſaticum arbitror : adeò vt quamuis variè mihi, delictorum iuuentutis conſcius ſim : nulla tamen re grauius deliquerim, quam quod 15. annorum ſpacio Miſſatica ſacra faciendo, Deũ opt. max. atrociffimè offenderim.

Imagines, campanas, veſtes ſacras, ornatum Eccleſiaſticum, altaria, lumina & ſimilia in rebus medijs habeo.

Tandem reſurrectionem mortuorum omnium in die nouiſſimo futuram credo : in qua pij vitam æternam : impij gehennæ infernum occupaturi ſint : damnato eorum furore, qui ipſos etiam Diabolos tandem ſaluatum iri opinati ſunt.

Hanc ita conſtanter amplector confeſſionem, vt huius teſtes omnes pios vocatos in nouiſſ. die velim. Quod ſi (quod auerrat Deus) vel tentatione aliqua, vel acerbitate extremi agonis fieret, vt diuerſum ab his, quæ expoſui, enuntiem : id iam iam irritum eſſe, & pro inſtinctu Diabolico haberi volo. In qua confeſſione me confirmet Ieſus Chriſtus. Amen.

MEGALANDRI LUTHERI
LIBER QVARTVS IN
CAVSA SACRAMENTA-
RIA, CVITITVLVS EST
Confessio minor.



I.

Libelli Lutherani, qui Homologeticus minor appellatur, σὺνοψις producturi, quia hoc a Satana studiosè agi animaduertimus, vt superiorum temporum lateant historiæ: consulte facturi nobis videmur, si ætatis præteritæ, rerumq; circa editum hunc libellum gestarum repetita memoria, in viuum quasi superioris seculi theatrum, studiosam iuuentutem introducamus.

Tempus.

II.

Scriptus est liber iste anno supra millesimum quingentesimum, quadragesimo quarto, cum annum ætatis Lutherus ageret sexagesimum primum: altero ipso ante beatam ipsius ex hac vita migrationem anno: post motam autem controuersiam Sacramentariam plus minus vicesimo. Quo tempore quo minus vel ætatis feruor iudicium corrumpere potuit: vel vsum rerum Theologicarum, imperitia vlla infirmare: vel causæ ipsius nouitas, momenta controuersiæ intricare: eo minus aliud in hoc libello expectandum est à Luthero, nisi quod à consummatissimo Theologo, & ad causam præsentem vndequaque paratissimo proficisci potest.

III.

Occasio. Occasionem scribendo libello partim factum Scvvenckfeldij præbuit, de quo paulò post in vestibulo ipsius libelli: partim Theologorum Helueticorum temeritas: partim vanissimæ Sacramentariorum gloriationes.

Marpurgi

Q V A R T V S.

IIII.

Marpurgi conuenerat inter partes, vt quia reliquos errores pluresq; omnes, conuictus à Luthero retractarat Cinglius, solo cœnæ Dominicæ excepto articulo: in quo cedere Cinglius veritati nondum poterat: aduersarijs scriptis partes abstinerent in publicum edendis de hac materia, si qua fortè Dei beneficio in tranquillitate induciarum istarum fieret, vt tempus ipsum efficeret, quod opera humana prestare nō poterat.

V.

Hoc pacto stans Lutherus, quindecim annorum spacio contra Sacramentarios ex professo nihil scripsit, aut in publicum edidit.

VI.

Manfuetudine ista abusi Sacramentarij, in Heluetia ad bellum maiori conatu instaurandum sese comparant, proq; eius auspicio, cum reliqua Cinglij, iam pridem trucidati in bello, scripta, quæ typis antea vtraq; lingua excusa fuerant: tum noua etiam quædam, quæ lucem nondum viderant, inq; his impiam illam Christianæ, quam vocat, fidei expositionem ad Regem Christianum, tomis integris distincta, Tiguri opere typographico impressa euulgant.

VII.

Facti huius testimonio apparet, cui parti restaurati belli Sacramentarij culpa imputanda sit. Quæ tam vere in Lutherum conijcitur, quam vere de aquis riui turbatis agnum lapus incusat, qui superiori tamen riui parte constiterat.

VIII.

Accesserunt vanissimæ Cinglianorum gloriationes, quos silentium Lutheri tam diuturnum sic interpretari non puduit, & fucos istos plurimorum animis affricare, quasi cum sua doctrina Luthero iam rectissime conueniat.

IX.

Huic fraudulentæ improbitati Sacramentariorum obuiandum esse ratus Lutherus, silentio rupto, in palæstram cum perfidia ista descendit, appulsoq; ad scribendam animo, spiritui suo, qui totus zelo erga domum Dei ardebat, frena laxauit.

L I B E R

X.

Adiuncta. Vix animo ad scribendum appulso, fama instituti passim increbuit: & quia suspicio haud levis fuit, fidem non esse in ijs, in quibus esse maxime debebat, collegis nonnullis Academicis, quos occultè cum Sacramentarijs colludere fama fuit: in horum animis Panicus quasi terror quidam obortus est; qui ipsis consilia de capessenda fuga suppeditavit, quam deserta Viteberga haud dubie arripuissent, nisi partim pia inclyti & beatissimi Electoris sollicitudine: partim ipsius Lutheri mansuetudine & precibus itum obuiam fuisset.

XI.

Electo, quia stylum in Philippum etiam (qui alter quasi Academiae oculus erat) stringendum esse auditione acceperat, misso Cancellario Pontano, factum Lutheri de adornando contra Sacramentarios scripto isto vehementer sibi probari ostendit. Ne autem in Philippum scripto publico prius quicquam statueretur, quam privati colloquij periclitatione res tentata fuisset, maiorem in modum consuluit.

XII.

Interim illud testatus apertè, quia periculum esse videat, ne vel Luthero, vel se defuncto erumpat virus, quod occultatum animis diu multi fouissent, tanti sibi esse purioris religionis, & piæ in doctrina concordia in ista schola conseruationem, vt quam de ista periclitari velit, quamlibet Academiae dissipationem ferre, & quantiuis etiam cuiusq; professoris iacturam facere præoptet.

XIII.

Placuit Luthero consilium Electoris, & quia ardentissimo amore Philippum Lutherus complectebatur, nec tam suo pte consilio, quam improbis quorundam sollicitationibus virum optimum, cum innata quadam infirmitate subinde conflictantem, impelli, atque in diuersa rapi perspectum habebat, postquam ne ad dimissionis consilium Elector descenderet, obtinisset, cum Philippo primùm, tum etiam cum alijs, quorum suspecta erat confessio, in colloquium arduum ac graue descendit.

XIIII.

Equidem fieri potuit, vt optimorum hominum animi blanditijs

Q V A R T V S.

blanditijs Sacramentariorū inescati, transuersi hæctenus non-nihil acti fuerint. Postquam verò ad ipsos in viam reducendos, atq; in veritate confirmandos, vim non argumentorum tantum, sed precum etiam planè diuinam Lutherus attulit: errore agnito abiuratoq; , Lutherum ita sunt secuti, vt eum, quoad vixit, currum & aurigam Israelis, postremæ ætatis Eliam, ac Germaniæ Prophetam & scriptis, & voce prædicauerint.

XV.

Nec mendacium vanius, aut iniuria in Præceptorem atrocior cogitari vlla potest, quàm eorum, qui Philippum viuo Luthero Cinglianum palam & constanter fuisse professum, & à Luthero, sententiæ istius probè conscio, sibi hac in parte liberè permissum esse iactitant: aut seipsos in mendacii, aut Philippum in perfidiæ crimen adducentes: Cuius vtriusq; suspicio etiam, à bono quouis viro abesse longissimè debet.

XVI.

Molestia hac defunctus Lutherus, manum ad scribendum feliciter admouit, atq; in opere isto sic perrexit, vt qui contrahisceret, aut mutiret, vel vnum non habuerit.

XVII.

Interim non omnis perfidiæ species vndeque abfuit. Eò rem versutia sua hæctenus adduxerant Sacramentarij *πρακτικώτατοι*, vt vix Vitebergæ in lucem prodiret quicquam, quin prima ad ipsos exemplaria deferrentur. Hæc res indigna multis visa, occasionem Luthero etiam præbuit, collusionis istius occultæ cum Sacramentarijs detestandæ. Quam tamen improbitatem adeò effugere in huius scripti euulgatione non potuit, vt folia sigillatim transmissa citius in Sacramentariorum manus peruenerint, quàm libellus ipse ad umbilicum impressionis perductus, lucem publicam viderit.

XVIII.

Testantur ergo & temporum, & aliarum rerum plurimarum circumstantiæ, Lutherum isto tempore virum fuisse *Pet. 2. 7.* vndeque afflictissimum, sic planè hostium non apertorum tantum, sed occultorum etiam caterua circumdatum, vt Lothi anima à nefaria Sodomeorum turba magis non fuerit afflictæ, quàm Lutheri ab improbitate diuersissimorum hominum.

Quo

L I B E R

XIX.

Quo nomine vix vnquam auditus fuit vir sanctissimus ardentius aut crebrius, quam hoc tempore, exoptasse beatam ex hac vita migrationem. Non enim tantum præsentem Diaboli furorem vidit, quo doctrinam veritatis per Sacramentarios iam iam oppugnet: sed diserte vaticinio spiritu prædixit, Sacramentarios, qui Theologia sua inepta atque incondita (quam ille semper *Wanderwelsch* appellare consueuerat) omnia conspurcarent, Parturire Nestorianismum, nec temperaturos sibi, quin in apertam lucem fatum istum edituri sint.

XX.

Autoritas

Prodiit ergo tandem in nomine, atq; in honorem altissimi, pia hæc, sanctaque confessio Lutheri, quam cum ipso communem habent omnes orthodoxi, quamque *κειμηλίω* pretiosissimi loco, Ecclesiæ purè Euangelicæ, atq; Lutheranæ omnes habent.

XXI.

Quæ quod singulari omnipotentis Dei prouidentia, in vsum Ecclesiæ atq; vniuersæ posteritatis orthodoxæ scripta sit à Luthero, quamuis olim etiam pijs dubium esse nullum poterat: Nunc tamen à posteriori planius experientiæ ipsius magisterio cognoscitur.

XXII.

Enimuerò si hæc non prodijset in publicum (quod vnicè in votis Diabolo fuisse satis constat) ad rauim vsq; clamantes hodie Sacramentarios habituri essemus, Lutherum in castra Sacramentaria transijisse: Cum ne sicquidem extante maxime, atq; inter Ecclesiæ manus versante Homologetico isto, mentiri ipsos pudeat, Patrem sanctissimum relicta priori sententia, ante obitum suum, fanaticum Cinglianismi errorem fuisse amplexatum.

XXIII.

Obiiciunt aliqui Homologeticum istum consensu reliquorum Theologorum Vitebergensium non fuisse approbatum: proinde inter ea scripta, quorum publica est autoritas, non habendum: Falsitas obiectionis paulò post apparebit.

Gariunt

Q V A R T V S.

XXIV.

Garriunt nonnulli, Homologetici huius euulgatione partim à colloquij Marpurgensis, Anno 1529. habiti, pactis & conuentis: partim à norma concordiae Vitebergensis, Anno 1536. initae discessum esse.

XXV.

Prioris obiecti vanitas, ex supra dictis patet. In Concordiae Vitebergensis complexum, Helueticae Ecclesiae, quantum solae adhuc Sacramentariae erant, nunquam venerant.

XXVI.

Horrendum illud est, quod nescio quam gratiam ei debere hodiè aliqui blasphemant, cuius iussu nutuq; Homologeticus iste primùm euulgatus est. Atqui hunc, Electorem ipsum fuisse, supra ostensum est, cuius pietati impius est, quisquis malam gratiam vnquam retulit.

XXVII.

Porro cum in lucem prodijisset iste liber, euulgationem Confessius animo indignissimo ferentes Theologi Tigurini, varia sunt quentiamoliti.

XXVIII.

Primùm Buceri consilio auxilioq; implorato, isto intercessore vti apud Lutherum, & conciliatore apud Ecclesias puriores voluerunt. Bucerus ipsorum culpa hoc factum esse; proinde hanc in ipsis fabam meritò cudi respondit, & hoc responsa à se, & sua amicitia istos dimisit.

XXIX.

Postea stylo rem tentarunt, edita in lucem confessione de coena, in qua acerbè, nec prolixè minus, ad Lutheri libellum responderunt.

XXX.

De qua responsione quae fuerit Lutheri sententia, quia ipse haud longo ante mortem tempore testatus est, ipsum audire iuuat, cuius verba sic habent, Quod Heluetij scripto acerbo contra me edito, condemnant me, de eo vehementer mihi gaudeo. Hoc ipsum enim quaesivi, hoc ipsum volui mea descriptione, vt impellerentur, ad edendum publicum testimonium de eo, quod sint mei hostes. Hoc iam consecutus sum, de quo-

Ad Iacob
praepos-
tum Pasto-
rem Bre-
mensem.

L I B E R

de quo, ut dixi, gaudeo. Ego miser homo acquiesco in hac vna beatitudine, de qua Psaltes, Beatus vir qui non ambulat in consilio Sacramentariorum, & in via Cinglianorum non stetit, & in Cathedra Tigarinorum non sedit. Habes meam sententiam.

XXXI.

Tandem id consilij ceperunt Tigurini, quod datis ad Landgrauium literis, de iniuria sibi suisq; socijs facta à Luthero grauer sunt conquesti, & hæreseos crimen à sese amolitur, misso simul suæ confessionis exemplari, postularunt, vt non in sua tantum ditione, Helueticorum scriptorum vendendorum liberam potestatem Landgrauius faceret: sed eandem illis ab Electore etiam Saxone, & Mauritio genero veniam impetraret.

XXXII.

Electo hac de re factus certior, requisito per Cancellarium Philippi, & aliorum Theologorum iudicio, hoc responsi tulit, Quia manifestum Paganismum scripta Tigurinorum in se contineant, consultum minimè esse, vt in istis ditionibus libera istorum venditio permittatur. Quo eodem tempore cum in graui ac diuturna deliberatione versaretur quæstio, An ad communem foederis societatem Heluetij essent admittendi à principibus Euangelicis: requisito de ea Theologorum Vitebergensium iudicio, negantis sententiæ responsum Elector tulit, cui responso, à Philippo composito, præter ipsum, & Lutherus, & Buchenhagius, & Cruciger, & Maior propria manu subscripserunt.

XXXIII.

Libellus ipse non *theologus*; sed *compilatus* Theologicæ totus est proprius. Nam quia reliquis tribus libris, quid de causa ipsa sacramentaria sentiendum sit, inuictò planè robore differuit Lutherus, & sic Cinglianorum argumentorum aciem profligauit, vt nullæ Sacramentariorum ne hodiè quidem appareant copix, quæ non sint pridem à Luthero fusæ fugatæq;: Postremo hoc libello autores ipsi & propagatores huius hæreseos quo loco sint habendi, grauissimi iudicij & sanctissimi zeli Theologus edocet.

Partes

Q V A R T V S.

XXXIIII.

Partes libelli tres constitui possunt: quarum prima occasione libelli scripti exponit: secunda in quaestione proposita explicanda confirmandaq; versatur: tertia παραφύδα seu ποσ-δύκην continet de elevatione, de qua à Sacramentarijs Ecclesiae nostrae lis indigna mota fuerat.

XXXV.

In occasione scribendo libello praebita, primas Svvencfeldius habet, qui nescio quid gratiae aucupaturus, libellum quendam suum, plenum fermenti Eutychniani, Luthero per peculiarem nuntium quasi sub praetextu concordiae, in re Sacramentaria constituta, miserat.

XXXVI.

Responso Svvencfeldium Lutherus non est dignatus. Tabellario autem schedam patentem huius argumenti tradidit: Hero suo significet, se Svvencfeldio meliorem mentem precari, quam nisi haeresi abiecta induat, gravissimae damnationis iudicium ipsum mansurum esse. Quo nomine Lutherum missum facere mittendis suis scriptis, & hoc ab ipso iudicium ferre debeat, Increpet Dominus te Satan, & sit spiritus tuus, qui vocavit te, & cursus tuus, quo curris, & omnes, qui participant tibi, Sacramentarij & Eutychniani tecum, & cum vestris blasphemijs in perditionem: sicut scriptum est, currebant, & non mittebam eos: loquebantur, & nihil mandavi eis.

To. 8. Ien.
fol. 137.

XXXVII.

Responsum hoc per nuntium transmissum cum passim spargeret Svvencfeldius, simul dira in Lutherum conuitia projiceret: de eo Lutherus ab amicis commonefactus, vt & facti sui causas redderet; & quid de Sacramentarijs censendum esset, Ecclesiam edoceret, animum ad libelli istius conscriptionem graui consilio appulit.

XXXVIII.

Ecquid autem cum Svvencfeldio Sacramentarijs? An horum causam aggravare Lutherus odioso & detestabili Svvencfeldij nomine voluit?

Q 2

Nihil

L I B E R

XXXIX.

Nihil verò minus ; Quin potius, Quos communem in hoc negotio causam fouere, & in eodem errore succenturiatos esse non puduit : eodem censu habendos esse Lutherus haud immerito existimauit.

XL.

Protestatur autem in vestibulo libelli Lutherus solenniter, se morti iam vicinum, testimonij huius gloriam, ad tribunal Domini & seruatoris sui I E S V C H R I S T I allaturum, quod omnes Sacramentarios, Carolstadium, Cinglium, Oecolampadium, Svvencckfeldium, & eorundem discipulos Tigurinos, & quoscunq; alios, vero odio perfectoq; od erit, & præcepto Apostolico obsecutus Tit. 3. hominem hæreticum, semel atq; iterum admonitum, deuitarit.

XLI.

Mox hypothesi ad thesin accommodata, arcem causæ ingressus, Sacramentariam Cinglij cohortem & hæresin pestilentissimam fugiendam, neq; cum genere isto hæreticorum commertij aut fraternitatis quicquam esse pijs posse comprobare.

XLII.

Confirmationis ratio prima hæc est :
Deploratæ prauitatis hæretici planè sunt vitandi.
Sacramentarij tales sunt omninò. Igitur &c.

XLIII.

I: Assumpti probatio multiplex est. 1. Fidem in seruandis pactis in isto hominum genere Lutherus desiderat. Marpurgicum Cinglio & Oecolampadio conuenerat, vt quia in vno Sacramenti articulo partibus conuenire non poterat, scriptio- num aduersariarum induciæ constituerentur. Ex parte Lutheri cum 15. annorum spacio, pacto isto firmissimè statum fuerit : Cinglius vix vnus anni fide præstita, exiguo ante mortem tempore, librum eum, de quo supra, conscripsit : Quem ne fide politica superarent socij, qui æquabant sacra, post mortem autoris librum in lucem emisissent, nonnulli præfatione & elogijs, quod hæc Cygnæa esset Cinglij cantio: nonnulli Apologia exornatum.

Sed

Q V A R T V S.

XLIV.

Sed vlti sunt mox Cinglium sui mores: qui in prælio à pontificijs occisus, tantum socio suo Oecolampadio mærorem terroremq; concitavit, vt is finiri, nisi cum vita, quæ vix tri- duo post fati nuntium duravit, non potuerit.

XLV.

Et Lutherum Cinglij tam tristis interitus binoclij integri spacio sic turbavit, vt vitæ periculum parum abfuerit. Dole- bat enim vicem animæ, tanta hæresi demersæ, de qua ad veri- tatis lucem peruentura spem amplissimam conceperat.

XLVI.

Accessit Paganismus, quo Cinglius hæresin suam auxerat. Nam in libro, quem modò diximus, eò progressus impietatis fuerat Cinglius, vt ethnicismum ipsum in mediam Christi Ec- clesiam introduxerit. Regem enim cui librum istum dedica- uerat, de vitæ æternæ consortio consolatum, sic compellat, Visurum istuc in vno & eodem consortio omnes sanctos, pios, sapientes, fortesq; heroas, Adamum, Abelum, Noahum, A- brahamum, Eliam, Esaiam, Dauidem, Ioannem Baptistam, Petrum, Paulum, Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonom, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, & ma- iores suos omnes, qui in fide defuncti sunt, &c.

XLVII.

At quid baptismo, Eucharistia, Christo, Euangelio aut scripturis opus fuit, si impij isti ethnici, Socrates Aristides, maximè monstrum illud Romanum, Numa, qui instinctu dia- boli Romæ horrendam idololatriam primus inuexit, teste Augustino de ciuitate Dei, cum Apostolis & prophetis vna ea- demq; beatitate fruuntur.

XLVIII.

Certè qui sic sentit, fidem Christianam à reliquis religio- nibus nihil discrepare sentit: & sic induxerit in animum neces- se habet, quemque in sua religione saluari posse.

XLIX.

Cuius prophanitatis tanta est abominatio, vt pro isto ho- minum genere se neget amplius ad Deum preces facturum.

L I B E R

L,

Ad hæc quantæ sunt in istorum hominum scriptis & sermonibus blasphemiam non in nos tantum: Sed etiam Seruatorem nostrum ter maximum proiectæ? quem Deum pistum, impanatum, triticeum, &c. appellant. Nos autem *σαρκοφάγων, αιματοπότων*, sanguisugarum, anthropophagorum, Capernaitarum, Thyestarum &c. denominationibus insigniunt.

L I.

Non quod in nostrorum scriptis quicquam compererint, quod huic blasphemæ diffamationi causam aut speciem præbeat: Imò ne hoc quidem, quod ipsis de nobis persuasum sit, quasi doctrinæ aut sententiæ tam crassæ atque abominandæ patrocinemur. Diuersum enim utrobique res ipsa, & conscientia ipsorum, quanta quanta adhuc est, contestatur.

L II.

Sed ut contra conscientiam suam saltem aliqua fuci specie doctrinam nostram diffament, & plebeciorum animos fumo isto absurditatis à veritatis sententia abalienent.

L III.

Quis enim nostrorum hominum vnquam ita vel absurdus, vel insanus, vel *ἄθεος* fuit, qui Christi corpus in cæna localiter esse perhibuerit, aut id vorari senserit eo modo, quo lupo agnum discerpit: aut sanguinem bibi, sicut aquam vacca potat? Absint ab Ecclesia nostra, imò verò absunt Dei beneficio quàm longissimè monstra ista opinionum.

L IIII.

Quin imò ne in Papatu quidem, cuius inuidiam nobis isti subinde conflare suis insimulationibus moliuntur, absurditatis istius vestigium vllò vnquam tempore inuenire licuit.

L V.

Quamquam enim *τὴν μεταυσίαν*, absurdo sanè errore, tandem approbauerint: minimè tamen persuasum fuit, talem fieri corporis Christi participationem, ut alius hanc, alius aliam corporis istius sacratissimi partem accipiat: sed vnumquemque; communicantium, si sint etiam aliquot millia, toto corpore Christi vesci: nec pauculas guttas sanguinis vel ex digito, vel pede Christi, exhibito calice, bibi existimatum fuit: sed totius sanguinis Christi ab vno quouis participationem fieri.

Neq;

Q V A R T V S.

LVI.

Neq; enim dixit Christus, Tu Petre, corporis mei digi-
tum; Tu Andrea nares: tu Ioannes aurem comedere: sed edite,
dixit singulis atq; vniuersis. At quod ederent singuli etiam,
corpus suum esse pronunciauit.

LVII.

Et quod hæc etiam in Papatu sententia obtinuerit, sal-
tem inde istis ignotum esse nequit, quia si superioris ætatis me-
moriam repetant, à se ipsis sub Papatu in celebratæ missæ hym-
no sic cantatum fuisse possunt meminisse, Sumit vnus, sumunt
mille, Quantum isti, tantum ille, Nec sumptus absumitur.

LVIII.

Suæ ergo ipsius conscientia testimonio conuicti non igno-
rant Sacramentarij, nos non esse σαρκοφάγους, αἱματοπότας, Thye-
stas, Capernaitas, Localistas, nec Deum nostrum esse Deum
pistum. A quibus tamen blasphemijs isti nondum sibi tempe-
rant, vt desperatæ cæcitatæ improbitatem pij omnes palam
conspiciant

LIX.

Posito verò maximè, quod est impossibile; veram esse,
pro qua isti pugnant sententiam, adeò vt nil nisi panis & vinum
sint in cœna statuenda: an proinde fas foret, istas impanati,
pisti ac triticei Dei blasphemias euomere? & non saltem ver-
bis Christi parcere, quæ à nobis non sunt conficta, sed ab ipso-
met prolata Hoc est corpus meum?

LX.

Quid ergò restat, quò minus etiam pannosum, contex-
tum, aquaticum, ac nubilum Deum appellent, cum panno ac
textura in vestitu, aqua in baptismo vsus sit Christus, & ascen-
sio eius in cœlum per nubes facta sit.

LXI.

Quod si volupe nobis esset talia euomere, & nomini diui-
no non esse parcendum existimaremus: an similia in istos dice-
re nos non queamus? An Arthophagos, Oenopotas, Psycho-
phagos, imò Psychophonos istos appellare non possimus?
Possimus utiq; , & verè quidem possimus, siquidem & corda
& ora habent mero diabolismo refertissima. Sed transeant ista.

Porro

L I B E R

LXII.

Porro turget planè genus istud hominum *αἰθαδεία* & hypocriti. Quicquid agant, quicquid pro libidine sua designent, quantumvis furant, sintq; non in homines tantum: sed in Deum ipsum quoq; contumeliosi, & scandalis atq; turbis orbem omnem compleant: mera est deuotio, mera charitas, nil nisi pacis studium & tranquillitas, pura pura sanctitas, qua maiorem vix in caelis reperias, imò ipse Spiritus sanctus est. Interim nostra omnia frigent ipsis, sordent, færent, quasi laude dignum nihil vnquam præstiterimus.

LXIII.

Deniq; omni tolerantia, quavis lenitate & humilitate adeò nihil apud istos proficitur, vt non tantum spem, quæ de fruge ipsorum concipitur, fallant omnem: sed in peius subinde proficiant.

LXIII.

Quæ cum ita sese habeant, & Sacramentarij sint, perfidum, plusquam semiethnicum, blasphemum, hypocriticum, & seipsum improbitate quotidie superans, hoc est, verè desperatissimum hominum genus, de quo & Ioannis Canonica præcipit, Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit Aue illi, communicat operibus eius malignis: Paulus itidem commonuit, Hæreticum hominem semel atq; iterum admonitum vitabis: sic planè habendum est, pro istis ne orare quidem pium quenq; amplius posse, nedum fraternitatem cum istis colere.

LXV.

1. Ioh. 5. Traditi enim sunt in sensum reprobum, & ad mortem (vt Ioannes loquitur) peccant.

LXVI.

Loquor autem (inquit Lutherus) de autoribus & propagatoribus istius hæreseos, seductæ plebeculæ misereatur Dominus, & ab istis animarum parricidis clementer eam liberet.

LXVII.

Secunda confirmationis ratio talis à Luthero ponitur:
Sacra-

Q U A R T V S.

Sacramentarij, secundum præceptum Paulinum sufficienter sunt admoniti. Restat ergò, vt deinceps vitentur.

LXVIII.

Prima ipsius Spiritus sancti fuit admonitio. Nam cum in ipso statim exortu suo ita in diuersas partes scinderetur ista hæresis, vt ex vna, hydræ instar, septiceps quodammodo fieret: perinde sane hoc fuit, quasi cælo clamaret ipse spiritus Domini, Cauendum esse ab ista tetra hæresi.

LXIX.

Primo capiti hydræ istius Carolstadius nomen dedit. In verba ista, Hoc est corpus meum, sic interpretabatur, Corpus meum est id, quod hic sedere cernitis: quam ipse cælitus sibi reuelatam esse interpretationem nugabatur. De qua in libro Antisacramentario primo.

LXX.

Secundus in istius monstri partu Cinglius fuit, cui suus Ater spiritus hanc glossam dictauerat, Quod Est pro SIGNIFICAT in verbis institutionis accipiendum esset.

LXXI.

Tertio loco Oecolampadius prodijt, cui suus spiritus hoc suggererat, CORPUS pro FIEVRA Corporis sumendum esse.

LXXII.

Svvenckfeldium maior inuaserat Spiritualitas, ex qua hanc regulam hauserat, Verba institutionis ex oculis seponenda esse, quia spirituales intellectum impediunt. Hac posita, sic Seraphisabat, Accipite, Edite, Corpus meum, quod pro vobis traditur, est hoc, intellige Spiritualis cibus.

LXXIII.

Quintò reperti sunt ex ista fece hominum, qui sic verba institutionis exponerent, Accipite, Edite, quod pro vobis traditur, est corpus meum.

LXXIV.

Mox alij exorti, Corpus per *μνησθησιν* corporis explicat. Ioannes runt, vt sic haberent verba, Accipite, Edite, hoc est corporis à Laico. mei *μνησθησιν* seu commemoratio.

R

Septimo

Septimo loco Ioannes Campanus emerfit, qui corpus pro creatura accipiendum censuit, vt sit hic sensus verborum, Panis ille, quem trado vobis, est corpus per se, non vinum illud meum & naturale: sed à me tamen creatum, ac proinde corpus, sicut lapis & lignum quoduis etiam corpus est. Macte ingenio este cœli interpretes.

Præter hos omnes spiritus, alius insuper quasi περιβουλος circumuolat spiritus, qui dicitur, cœnam Domini non esse articulum fidei: Proinde de ea non contentiose disceptandum, sed vt quisq; sensu suo abundet, liberum omnibus relinquendum esse.

Hi omnes spiritus quanquam capitibus inter sese dissident instar vulpium Simsonidum: caudis tamen colligati sunt, vt in vno isto nexu spiritualis subtilitatis coeant, Panem esse panem: vinum esse vinum. Quod est oppidò sanè magnum atq; ingens mysterium, & vix nisi Seraphicis ingenijs cognitum.

At quod præter panem & vinum nihil in Cœna aliud relinquunt, eo ipso ex S. Eucharistiæ Sacramento, vulgarem planè cœnam faciunt, neq; aliud illi maius quicquam, quàm communi conuiuio tribuunt.

Eadem enim symbolica est significatio in vulgari quouis conuiuio Christianorum, quæ à Sacramentarijs in Cœna Domini statuitur. Fidelis enim quisq; corporali cibo potuq; moneatur itidem de refectione spirituali, quæ corpore & sanguine Christi præstatur credenti.

Et vtrobiq; diuina institutio siue ordinatio locum habet, saltem ex generali isto Pauli præcepto Coloss. 3. Quicquid facitis, in nomine Domini nostri IESU CHRISTI facite, gratias agentes Deo per ipsum.

Q U A R T A

LXXXI.

At quisquis ita bibit editq; in vulgari etiam conuiuio, is certè **C H R I S T O** per fidem vnitur, Ioan. 6. & quibusuis eius beneficijs fruitur.

LXXXII.

Supereft ergo nihil, quo à vulgari conuiuio, aut domestico quouis piorum conuiuio, Cœna Dominica discrepet, vt sui planè oblitus esse **C H R I S T V S** videri queat, qui noua Cœna instituta, id peculiariter fieri voluit, quod in quouis domestico prandio fieri quotidie non potuit tantum, sed consueuit etiam apud omnes, qui verè Christiani sunt.

LXXXIII.

Secundæ admonitionis loco, scripta sunt publica, non Lutheri tantum: sed & aliorum, tanto cum diuinarum scripturarum, tunc rationum etiam firmissimarum robore communita, vt istis cedere, si quis in illis pietatis spiritus esset reliquus, omninò tandem debuissent.

LXXXIV.

Tertiò grauissimæ admonitionis loco illis fuit Tragicus Cinglij interitus, qui in prælio cum alijs 500. ciuibus occisus ab hostibus omni posteritati memorabile iudicij diuini spectaculum præbere potuit.

LXXXV.

Quod triste fatum dum isti pro omine gratiæ interpretantur, & diuini iudicij seueritatem pro Martyrio accipiunt: in eo Pharaonem & Iudæos imitantur, qui plagas quasuis & supplicia diuinitus inflicta, in Martyria sacra conuertebant, & vnde diuinæ iræ indicia colligere par fuerat, inde maioris indurationis materiam capessebant.

LXXXVI.

Optandum quidem est, factum esse de ipso, quod in Paulo habetur, Traditus in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri **I E S V C H R I S T I**. Et quod alibi dicitur, Dum iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.

1. Cor. 5.
1. Cor. 11.

R

Verum

L I B E R

LXXXVII.

Verum ex quouis supplicio, non est statim integrum, hoc ipsum colligere. Non enim poena, sed causa, teste Augustino, facit Maryrem.

LXXXVIII.

De Cinglio verò, præterquam quod constat, civiliter etiam magnoperè laborasse causam, in qua occisus fuit, dum intercluso confederatis popularibus comœatu factum est, quod scriptura dicit, Qui acceperit gladium, gladio peribit: certo certius illud est, in peccatis multis, & horrenda sua blasphemia ipsum extinctum esse.

LXXXIX.

Ex his cum liquidò pateat, ad sufficientem admonitionem nihil ipsis defuisse: dum ad frugem tamen nondum sunt reuersi, hoc sciendum est, missos esse istos planè faciendos, tanquam *αὐτοκατακρίτους*, & quod CHRISTVS monet, tanquam ethnicos & publicanos habendos, quotquot præsentiam corporis CHRISTI in Cœna negant, quocunq; tandem nomine isti appellandi veniant.

Tit. 3.
Matth. 18.

XC.

Tertia confirmationis ratio talis à Luthero adducitur. Sacramentarij hærescos palam sunt conuicti condemnatique.

Ergo piorum consortio minimè sunt dignandi.

XC I.

Antecedentis probatio ex cursu disputationis petitur. Ferrei propugnaculi instar Oecolampadio fuit dictum Christi Iohan. 6. Caro non prodest. Item Ascensionis ad cœlum articulus.

XCII.

Prius illud ita demolitus est Lutherus, vt Cinglius posteriori suo libro eius ne mentionem quidem amplius vllam fecerit.

XCIII.

In posteriori, *τὸ αὐτῶ φάρα*, quod dici solet, deprehensunt. Aiebant se articulo ascensionis commotos fuisse, ne præsentiam Corporis Christi in Cœna promissam esse crederent.

Atqui.

Q V A R T V S.

XCIV.

Atqui Christo nondum ad cœlos euecto, prima cœna instituta, & præsentia corporis Christi promissa fuit. Anne eam igitur tum ascensio ad cœlos impedire potuit?

XCV.

Quod si tum igitur, quod eam impediret, nihil fuit: & verò quæ à nobis iam tot seculorum decursu celebratur, à prima Cœna per substantiam nihil discrepat: quid superest, nisi id, quod ascensio in cœlum, præsentiam Corporis Christi in cœna nullo modo impediatur?

XCVI.

Contra harum probationum euidenciam, cum ne gry quidem quod hiscerent, haberent aduersarij: Colloquij Margurgensis tractatio suscepta fuit. In eo colloquio mutare ceperunt statum controuersie, & sic errorem suum corrigere, ut faterentur quidem, in cœna non esse nuda symbola panis & vini, quod hætenus strenuè pugnauerant: sed in cœna corpus etiam, & sanguinem Domini statuerent: Verùm non corporaliter, sed spiritualiter duntaxat participanda.

XCVII.

Sed ne hoc quidem *νευσφύγιον* consistere diu potuit. Nam spiritualiter istis veici, piorum duntaxat est & sanctorum, cum Apostolus corporis Christi manducationem etiam ab indignis fieri perhibeat. 1. Corinth. 11.

XCVIII.

Et Christum per fidem in cordibus nostris habitare, ex Paulo Ephes. 3. equidem notum est. Quæ inhabitatio Christi siue communio cum Christo spiritualis est. At spirituale corpus non assumpsit Christus, nec pro nobis tradidit: sed veram & naturale, sicut Luc. 24. ipse testis est, quo nos in cœna participare voluit, qua participatione Sacramenti huius negotiū, à negotio fidei distinctum esse Christus voluit.

XCIX.

Cepit igitur Cinglius multa ineptè nugari & garrere de inclusione locali. Plerique excusabant se, quod mente nostra hætenus nondum satis percepta sic persuasum habuissent, nos

L I B E R

tum Papistis localem in cœna statuere corporis Dominici
præsentiam. C.

Sed hoc effugium quàm caluum esset, statim apparuit: si-
mul etiam partim inscitia istorum hominum, res, quas habere
perspectissimas debebant, ignorantium: partim temeritas in-
notuit, ea, quæ ignorabant, impugnantium, & super istis per-
acerbas blasphemias nos furenter insectantium.

CI.

Dilapsi sunt ergo tandem in disputationes de impossibi-
litate rei. Ego verò cum Patriarcha Abrahamo & piis omnibus
pedem figo, inquit Lutherus, in dicto illo Apostoli Rom. 4.
Quæcunq; promisit Deus, potens est etiam seruare. Item Psal.
51. Ut iustificeris in sermonibus tuis, cum iudicaris. Nolo
rationis meæ iudicium consulere primum, Num possibile sit,
vt ori meo corpus suum in cœna Christus præbeat, & tum in
Deum iudicium mihi sumere. Absit à me ista impietas. Ipse
dixit; In hoc acquiesco: si decipit me, feliciter decipior. Nun-
quam mentitus est, nec potest mentiri. Qui hac in parte me-
cum non consentit, missas scripturas S. & omnes articulos fi-
dei faciat: Nunquam enim operæ precium in re Christiana fa-
ciat, & satius fuerit eum Ethnicum esse, quàm Christianum.

CII.

Quartam confirmationis rationem in hoc ponit Lutho-
rus:

Sacramentarij fidem subinde iactitantes, reuerà nihil cre-
dunt. Igitur vt carcinomata Ecclesiæ fugiendi sunt.

CIII.

Antecedens argumento à minori ad maius ducto com-
probatur: Qui, quod minus est, credere recusat: de eius fide
quid nobis in maioribus pollicebimur? Si hîc hæsitat, quod
corpus Christi in cœna, ore manducandum tibi præberi dici-
tur: quid fiet, præsertim tentationis tempore, si infinita & im-
mensa Diuinitatis plenitudo, quæ ubiq; est essentialiter, cor-
poraliter in humanitate Christi habitare dicetur? Coloss. 2,

CIV.

Et fieri nequit, vt credas, solum Filium incarnatum esse,
non

Q V A R T V S.

non patrem, aut Spiritum sanctum, cum hi tres in simplicissima tamen Diuinitatis essentia vnum sint: si corpus Christi in coena præberi posse, diffitendum existimas.

CV.

Et quid proh D E V M futurum est, si huc vsq; falx istorum hominum Theologica ventura est? quid non fanatici ac vertiginosi erroris & furoris isti homines nobis concitabunt? cuius quidem iam iam primordia ab istis strenuè capi fama est, facto ad Nestorianismum præludio, quem euitare ipsos impossibile est, nisi in religionis capite de Sacramento ad meliorem mentem redeant.

CVI.

Gloriantur quidem articulum de persona C H R I S T I à se firmiter credi, & purè doceri. Sed non errat, qui assertioni isti fidem non habet. Nam si verbis maximè hoc profiteantur (quod Diabolo etiam fecisse constat ex doctrina Euangelistarum) sensa tamen animorum longissimè abesse, tam est certum, quàm quod certissimum.

CVII.

Postrema confirmatio Lutheri in proposito negotio sic habet: Sacramentarij circa fidem naufragium fecerunt. Ergo cum istis societas rectè fidelibus intercedere non potest.

CVIII.

Ad firmandum hoc *ἐπιχειρημα*: aliquot hypotheses afferuntur, quas vsus ipse atq; obseruatio docet esse certissimas.

CIX.

Prima talis est, Quisquis vnum negat articulum fidei, & veritati diuinæ in vno, admonitus etiam, nihilominus contradicit, is nullum omninò articulum fidei pro vero atq; *ἀπορίστου* habet.

CX.

Secunda, Quisquis non piaculo sibi ducit, Deum falsitatis arguere in vno aliquo verbo, & semel atq; iterum monitis, & meliora doctus, palmam veritatis Deo non concedit: huius certum est, eam esse *ἀδύνατον*, vt in nullo verbo fidem Deo vere habeat.

Tertia,

L I B R R

CXI.

Tertia, Diabolus vnus hospitis gratia tabernam nullata aperit, qui vbi hæresin vnã inuexit, non cessat plures idẽtidem intrudere: Et nullus error solus manet.

CXII.

Quarta, Fides catholica & religio Christiana constituunt vnã copulatiuam. Quemadmodum ergo annulus, facta ruptura vnã, annulus non est amplius, & campana fissuram vnã passã, amisso sono fit inutilis: ita fidei Catholicæ sinceritatem si vnus articuli abnegatione interrumpas, totius proditor factus es.

CXIII.

Quod verè pronuntiari, saltem ex eo intelligas, quia spiritus sanctus sibi ipse minime est contrarius, aut in seipso quasi diuiduus, vt in vno veritatem doceat, in altero mendacium sustineat, infirmitatis casu excepto, in qua tametsi alicubi locum error habeat, paratus tamen semper est ad discendum animus, & ad cedendum veritati promptissimus.

CXIIII.

Iam si articulo fidei negato vno, reliqui omnes credi impune atque sine dispendio possent: nemo hæreticus damnari posset, imò ne quidem hæreticus in Ecclesia vllus futurus esset.

Omnis enim hæresis in vno fidei articulo negando exordium facit: hæresis facta, reliquorum tandem omnium fit demum abnegatio, hoc est, ex hæretico fit apostata. Qui enim primum omnes fidei articulos simul negaret; non hæreticus; sed infidelis atq; ^{ab}deus dicendus foret.

CXV.

Exemplis res fit confirmatio. Arrius primum solam Christi diuinitatem impugnabat: in reliquis articulis credendis, quouis etiam alio purior perhiberi volebat. At de isto scriptura pronunciat 1. Iohan. 2. Omnis qui negat Filium, nec patrem habet. Quod si Arrius nec filium nec Patrem habuit, prorsus sine Deo, & ab omni fide alienus fuerit oportet.

CXVI.

Macedonius Episcopus Constantinopolitanus excepto articulo

Q V A R T V S.

articulo vno, qui est de diuinitate Spiritus sancti, reliquos omnes fidei articulos credebat. Sed negato isto, perinde fuit, quasi nullum crederet. Et quamuis ore atq; verbis ceteros omnes profiteretur: tamen Spiritu sancto orbatus: neq; Deū, neq; fidem, neq; Sacramenta, aut verbum, ac proinde salutis nihil quicquam habuisse putandus est.

CXVII.

Nestorius itidem Byzantinus Episcopus, acerrimus reliquorum fidei articulorum propugnator audire volebat. Verum quia vnione hypostatica, quæq; ex hac sequitur, Communionem Idiomatum reali negata, beatam Virginem *θεοτοκος* esse diffitebatur; reliquorum omnium articulorum vsus in nihilum ipsi redactus fuit.

CXVIII.

Et ex his tribus hæresibus, aliæ tandem complures hæreses pullularunt, quarum semina pridem in istis sparsa hærebant: donec tandem emerfit inde maledictus ille Mahometismus, qui iam inde ab initio in istis ceu embrio in vtero materno abstrusus latitabat.

CXIX.

Sic Papismus, iacto iustitiæ operariæ fundamento, hæresin hæresi tandiu cumulauit, donec tandem iste, quem hodiè in curia Romana cernimus, Epicurismus & Atheismus exortus est.

CXX.

Simile de Sacramentariismo statuendum est iudicium. Quid enim? quodde spiritali manducatione carnis CHRISTI, de charitate, & similibus, multa superciliosè garrunt? Hæc folia sunt ficulnea, quibus fæditati suæ hæreseos fucatum integumentum faciunt.

CXXI.

Tantidem æstimandi sunt labores istorum hominum & lucubrationes, ac vitæ moderatiore instituta, vnâ cum omni ea, quam de S. Trinitate, de CHRISTO, & redemptione generis humani professionem edunt.

CXXII.

Nam quia caput Religionis primarium de Eucharistiæ Sacramento

S

cramento

L I B E R

cramento abnegant, & CHRISTVM, mendacij apertè in eo arguunt: quicquid Angelicæ lucis in cæteris præ se ferant, à spiritu tenebrarum sese obsessos esse manifestè produnt.

CXXIII.

Roborat sententiam Lutheri scripturæ etiam sacræ autoritas, Luc. 11. Vide, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum: erit lucidum totum. Matth. 6. Si lumen quod in te est, tenebræ est: ipsæ tenebræ quantæ erunt? Sic Apostolus, Gal. 5. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis seruandæ: euacuati estis à Christo: à gratia excidistis. Vnde Iacob. 2. qui seruata lege, in vno peccauerit, totius reus esse dicitur.

CXXIV.

Dicet aliquis, Crudelitatis hoc in Deo futurum, si integritate reliquorum articulorum seruata, ob vnius negationem reus damnationis quispiam esse statuatur. Quin potius multorum genuina professione, vnius articuli negati crimen antiquari atq; expiari posse.

CXXV.

Stolidissimè in hunc modum de Deo iudicari, planè certum est. Nam cum de iustissima voluntate sua in verbo quicquam reuelat Deus: quid par magis esse poterat, quàm vt à miseris homuncionibus istud deuotissimo pectore exciperetur.

CXXVI.

Cum ergo isti, ore quasi in cælos posito, sapientiam ipsam ac veritatem sempiternam, quæ est ipse Deus, mendacij arguere, eludere, blasphemare non verentur: an istis ex vlllo alio opere gratiæ apud Deum quicquam esse posse, sanus quispiam ac verè religiosus existimare poterit?

CXXVII.

Iam cum se ita istæc quæ sunt dicta, habeant, hoc est, cum Sacramentarij deploratæ prauitatis sint hæretici: sint legitimè ac sufficienter de hæresi admoniti: sint palam conuicti condemnatiq; , adeòq; sint à fide vera alieni, vt omnem quasi abnegasse videantur: ita planè auersandos eos esse pijs omnibus

Q V A R T V S.

bus censet Lutherus, vt nulla cum ipsis societas intercedat; non libri, non epistolæ, non salutationes, non scripta ab ipsis accipiantur: istorum hominum nomen ac memoriam non animus tantum: sed ne auris quidem aut oculus cuiusquam pij ferre sustineat.

CXXVIII.

Hæc cum ita senserit, scripserit, disputarit, prædicarie publicè Lutherus, vt orbis vniuersus istius rei testis sit: an frontem esse nostris Sacramentarijs putabimus, qui Lutherum extrema senectæ sententiæ suæ minus iniquum cepisse fieri garrunt.

CXXIX.

Quorum impudentissimo ori vt Lutherus ipse colaphum impingat, loquentem ipsum in hoc libello audiant. Si, inquit ille, istorum sententiæ fauere, aut commune mihi cum istis quicquam esse vellem, aut silentio saltem præterirem vanissimas istorum de consensu meo gloriationes: ipse extremæ damnationis sententiam tanquam *αὐτοκατάκριτος* in me ipsum statuerem. Cuius rei nemo mihi, nisi diabolus ipsissimus, auctor esse queat.

CXXX.

Audiant & altera vice loquentem eundem Lutherum Sacramentarij. Quisquis, inquit ille, veri & naturalis corporis Christi manducationem etiam ab indignis faciendam, in Eucharistia non creditis procul facestat, neq; amicitia à me quicquam expectet. Sic stat firma & immutabilis animo meo sententia.

CXXXI.

Semel adhuc loquenti Luthero aures Sacramentarij præbeant. Ego, ait ille, centies malim vel vncis discerpi, vel igne cremari, quàm in castra Cinglij transire, aut cum fanatica Sacramentariorum doctrina commune quicquam habere.

CXXXII.

Restat libelli pars vltima, de eleuatione in celebranda cœna. Quam quia posterioribus annis abrogatam fuisse à Luthero in Saxonis Ecclesijs audierant Sacramentarij: sic illud interpretabatur, quasi hoc facto de neganda corporis Domini præsentia in cœna, hoc est, probanda Sacramentariorum sententia Lutherus indicium ederet.

S 3 Luthe-

L I B E R

CXXXIII.

Lutherus rem, vt gesta erat, narrat. Cum Missam, inquit, Pontificiam ante annos plus minus viginti hostiliter adorirer, & Missam siue Sacramentum non pro sacrificio, quo Deo aliquid daretur: sed pro testamento & dono, quo nos à Deo acciperemus, habendum esse pugnarem: parum abfuit, quin propter pontificiam superstitionem tum ad ritum istum Eleuationis abrogandum descenderim.

CXXXIV.

Quia verò tum adhuc noua erat doctrina nostra, cautè agendum & plurimorum infirmitati parcendum fuit, ne non ædificare, sed destruere saltem videremur.

CXXXV.

Accessit quod vsum significationis haud pœnitendum ritus eleuationis haberet, vt in libello de captiuitate Babylonica ostendi. Partim enim imitabatur ritum Mosaicarum oblationum, in quibus non expiatio peccatorum fiebat: sed gratiarum actio, vnde vox est Thnupha & Thruma: partim verborum cœnæ, Hoc est corpus meum, expositionem quasi quandam proponebat. Nam quia statim verbis istis pronuntiatas fieri eleuatio consueuerat, hoc velle eleuando dicere consecrans videtur, En charissimi, hoc ipsum est corpus quod pro vobis traditum est: vt non ad Deum sacrificio placandum, more Pontificio: sed ad piorum exhortationem ritus iste referretur. Quibus rationibus motus tum nihil in isto innouare volui.

CXXXVI.

Dum in ista deliberatione versor, cœlestis illius Prophetæ Carolstadij libellus fanaticus in lucem prodit, in quo Vitebergenses nos crucifixores & occisores Christi, & noui Papistæ appellamur, saltem ob retentum Eleuationis ritum. Eleuare enim, ipsi sacrificare significabat. Sacrificare autem Christum, ille crucifigere & occidere eundem interpretatur.

CXXXVII.

Atqui constabat illi vertiginoso Prophetæ, exterminatam iam ante aliquot annos à nobis esse Papisticam Missatici sacrificij

Q V A R T V S.

ficij abominationem, atq; in eo officio Ecclesiæ præstando nos primas tenuisse.

CXXXVIII.

Cum ergo furere aduersus nos sine causa Spiritum istum animaduertentem, inprimis reatum peccati, & quidem atrocissimi statuere in eo, in quo nullum peccatum erat: ne ad horam quidem isti furori celsi: quia cum tunc animus mihi esset, abrogare istum ritum, in contumeliam istius Satanæ, mutato consilio, retinui eundem, & vt magisterio in nostras Ecclesias iste vteretur, pati nolui.

CXXXIX.

Simul etiam hoc factò conscientiaë paci consulendum putavi, cui non poterat non vel de præterito, vel de futuro scrupulus impingi, si in ipso simpliciter ritu tantum inesse peccatum, quod non inerat, agnoscerem. Adiaphoron ergo hoc relinquendum esse censui, ita quidem, vt tres, septem, aut decem eleuationes potius fuerim introducturus, quam passurus, vt onus istud necessitatis conscientiaë meæ vertiginosus iste & fanaticus Spiritus imponeret. Hoc consilio Eleuatio à nobis retenta fuit.

CXL.

In rebus enim adiaphoris, quæ à Deo neque præcepta, neq; vetita sunt, libertatem nostram meritò sartam esse & rectam volumus, & in nostro positum arbitrio putamus, vt de ijs statuamus, quod libet. Seruitutis ergo iugum in istis imponi nobis à nemine patimur.

CXLI.

Domina ergo, non serua est istarum rerum Ecclesia quælibet. Si eleuare non vis hostiam, sanè collocata iaceat. Si iacentem habere non vis, eleua. Quid istuc vel ad Deum, vel ad conscientiam, vtrumuis facias? tantundem, quantum ad altare.

CXLII.

Iam quod hoc tempore diuersum nobis complacet, non est quod sibi gratulentur Sacramentarij, quasi istis quicquam hac in re datum sit: aut cessum sit errori istorum. Hunc enim

L I B E R

semper dum vixerimus, detestabimur: ipsos verò pro damnatis Dei ac nostræ Ecclesiæ hostibus constanter itidem ac firmiter habituri sumus.

CXLIII.

Sed partim *εὐσχημοσύνη* & consensui Ecclesiarum nostrarum in hoc facto aliquid datum fuit, vt harum consonantiæ in hoc etiam adiaphoro nos conformaremus: partim consilij nostri pristini ratio postliminiò captata: partim suspitioni & periculo schismatis obuiatum fuit. Testis est enim experientia, potissimam schismatum materiam iam inde ab exortu Ecclesiæ Christianæ, ex ceremoniarum ritibus enatam esse.

CXLIV.

Quantum turbarum inter Græcam & Latinam Ecclesiam dedit vnica illa de tempore Paschatis celebrandi dissensio? In qua rectè ab Irenæo Victor Romanus Episcopus reprehensus, & in eam sententiam adductus fuit, vt consonantia fidei ob dissonantiam ceremoniarum non in discrimen adduceretur, nec pro piaculo haberetur, si alio Romana, alio Græca Ecclesia tempore Pascha celebraret.

CXLV.

Certè non vtriq; tantum isti Ecclesiæ magna intercessit rituum dissimilitudo, & etiamnum intercedit: sed ne ipsa quidem Romana sibi vbiuis est conformis & consentanea. Quod est ex diuersitate illa euident, quæ Mediolanensi cum alijs Italicis & Pontificijs omnibus in Missæ celebratione intercedit. Ex qua factum est, vt ego istac transiens Anno 1510. nullibi Missam celebrare in ista Diæcesi potuerim, hoc accepto responso, Nos sumus Ambrosiani, non poteris hic celebrare.

CXLVI.

Quid multis? Nulla in terris est Ecclesia, in qua maior sit cultuum & ceremonialium rituum diuersitas, quam in Romana. Quam tulit tamen Romanus Pontifex: modò primatus ipsi ratus permaneret. In qua diuersitate illud obtinuit, Si fueris Romæ, Romano viuuto more.

CXLVII.

Quod si hoc in Romana valuit Ecclesia: quidni in præsenti etiam Eleuationis negotio apud nos valeat?

Vnica

Q V A R T V S.

CXLVIII.

Vnica illa obseruata interim ratione, vt quid decoris publici sit, & ad Ecclesiarum in isto genere consensum & conformitatem faciat, inprimis spectandum esse censeam. Hoc est enim quod Paulus præcipit Rom. 12. Vnum inuicem sentite, Item 1. Cor. I. Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri IESV CHRISTI, vt vnum dicatis omnes, & non sint inter vos schismata.

CXLIX.

Quod si hoc ratio non patitur alicubi: tum illud alterum Apostoli valeat Rom. 14. Ne turbentur conscientia: sed id se-
stemur omnes, quod & ad pacem facere, & ædificationi quàm plurimorum prodesse queat. Hoc in nobis omnibus efficiat IESVS CHRISTVS, benedictus cum
P A T R E & Spiritu sancto in omnia
secula. A M E N.


F I N I S.




Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.







44 ¹⁵
4



44

AB 44

15

2,4

Handwritten text on a small rectangular label, partially obscured and difficult to read.


Handwritten text on a small rectangular label, partially obscured and difficult to read.



ULB Halle 3
007 370 520



WMA







SACRAMEN-
 TIA,
 QUATUOR
IN ILLUSTRATIONE
 ERI.
 ἀντιπροφητικὸς inscribitur.
 καὶ τὸ ἴδιον in verbis Cœnz.
 { Homologeticus.
 PROPOSITI A
 LIO DOCTORE
 RE THEOLOGO.

Steinmanni 1592.